HIERONYMVS BORRIVS ARRETINVS,

DE PERIPATETICA docendi atque addiſcendi Methodo,

AD FRANCISCVM MARIAM Feretrium Vrbinatium Ducem Sereniſsimum.



FLORENTIAE.
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXIIII.


HIERONYMUS BORRIUS

FRANCISCO MARIÆ FERETRIO VRBINATIVM DVCI SERENISSIMO,

Hieronymus Borrius Arretinus deditissimus. S. D.

SAEPE, ac multùm mecum ipse mente agitaui, quid caussæ esset, quamobrem post diuinum seculum Aristotelis, & Platonis, nulli, ne longo quidem interuallo, proximè ad eorum doctrinæ excellentiam accessissent: præsertim hac nostra ætate miserrima, in qua tàm pauci veræ illorum scientiæ elementa attige-

runt; cùm omnibus ferè contingere poßit: non modò vt sectarentur; verùm etiam proficiendo anteirent: propterea quòd tot, tantosque labores, tot, tantosque sumptus, peregrinationes, & rerum omnium varietates in comparandis bonarum artium cognitionibus obire non cogimur; quot veteres Philosophos obijsse didicimus: quibus exigua, aut fortè nulla bonorum copia librorum erat: propterea dictata à praeceptoribus de superiore loco docentibus, non sine menda excipere, aut ab alijs excepta maioribus, frequentioribusque mendis transcribere necesse erat; & quò magis ab archetypo exempla discedebant, eò mendosiora legebantur, & non nisi maximo cum dispendio emebantur: ideò addiscere cupientibus multa erant suo marte inuenienda, & ab alijs inuenta memoriae commendanda. Atque vtinam quò in turpi notarum forma, ac deprauatis signis innumerisque lituris castigandis veteres illi necessitate

ceßitate adigebantur; eòdem noſtri hodiè ſuapte voluntate non trahantur: qui dum rerum ipſarum doctrina augeri, & ea aucti ſuas mentes excolere deberent, errata corrigere coguntur: tunc deſerenda inueſtigatio veri, quæ ſcripturæ mendo tollitur, & auſertur. Sed miſſa iſthæc faciamus, & ad noſtram hanc ætatem, omni poſthabito abusu, reuertamur. Hodie ergo nihil tàm abditum, nihil tàm reconditum, nihil tàm abſtruſum, quod in hanc ſplendidißimam lucem non prodierit: multi impreßi libri venales, ijdemque optimi in omni diſciplinarum genere, vili precio veneunt. Olim aut Athenas ad Philoſophos, aut Megaram ad Mathematicos, aut in Aegyptum ad Bracmanes, aut in Indiam ad Gymnoſophiſtas, ſcientiæ perdiſcendæ gratia, contendere; tunc prouincias luſtrare, montium, & nemorum difficultates ſuperare, ac tranſcendere, & maria tranare illis opus erat. Hoc

 tempore

tempore multæ in Italia, multæ in Gallia, in Hispania, in Germania, in Pānonia, & in illis remotißimis prouincijs, quæ literas minimè nouerant, omni laudum genere præstantes Academiæ reperiuntur; ita vt non nisi solus legendi, atque audiendi labor nobis relictus esse videatur. Hoc ingenti cum apparatu, hoc minimo cum labore, nulloque cum sumptu, vitæque discrimine literæ cùm perdiscantur, profectò mirandum est, quam ob rem pauci sint, qui in mediocrium Philosophorum numero non ita multùm laude procedant. Non nulli futiles, nulliusque iudicij homines huius rei culpam in ipsam rerum naturā transferre conantur, quam etiam senio confectam, & quasi effœtam, sterilemque, ac delirantem causantur: quæ sublimes illos, summo ingenio, ac mente propè diuina præditos homines parere oblita sit. Hic affirmare licet, cæcas esse nostras omnium mentes, cæcaque nostra omnium

pectora:

pectora: qui in splendida meridiani Solis luce oculorum sensu destituimur, perinde, ac si in medijs intempestæ noctis densissimis, obscurissimisque tenebris oculis capti essemus. Eam ob rem non videmus naturam nunquam auaram nouercam, nunquam senio confectam; sed rerum mortalium communem, fœcundam, ætateque florentem matrem semper fuisse: quæ innumerabilibus cùm ingeniorum, tùm cunctarum omnium rerum grauidata formis, nunc & sublimia ingenia, & alia omnia gignat, ac fundat ex sese; vt iam pridem & gignere, & fundere consueuerat. Ideo ego, qui ab ineunte ætate naturam nunquam non sum admiratus, illiusque fœcunditatem nunquam non duxi plurimi, cumprimum in ea contemplanda mihi visus sum aliquos progressus fecisse; cœpi ridere Momorum illorum audacem, insanamque petulantiam, qui naturæ, rerum omnium opifici, hanc inia

ſtam auaræ, ac ſeneſcentis nouercæ notam inurere auderent. quippe nunquam non parere geſtiat, & ad procreata ſtabilienda, optimèque temperanda, ac tuenda eam vim nunc habeat admirabilem, quam olim habuit. Ego igitur non in naturam, quæ ſemper mater benigna fuit; ſed in noſtram ſocordiam omnem huius rei culpam reijcio: cuius gratia in naturæ arcanis contemplandis, inueſtigandis, ac perquirendis minus temporis, ac diligentiæ à nobis hodie adhibeatur, quàm ab illis operæ, ſtudijque tunc impendi ſolitum accepimus. Ariſtoteles, poſtquam Socratem aliquot annos audiuit, Platoni viginti annos totos operam dedit: mox, nonnullis interpoſitis temporibus, ad ea ſtudia, quæ intermiſſa fuerũt, Ariſtoteles Athenas reuerſus, eo tempore, quo doctorum doctor eſſe poterat, ad eandẽ ſe ſe retulit Platonis diſciplinam, eumque quattuor prætereà annos ſectari voluit. Nobis, qui prima

huma-

humaniorum, litterarũ; limina vix immò ne vix quidem, longè salutauimus, vnũ annum in dialecticis, vnum, aut alterum, vel ad summum tres, in ea parte Philosophiæ, quæ de natura est, ponere nimis longum videtur, à pauci sunt, qui annum quinctum absoluant: perpauci verò, qui sextum attingant: nullaque habita aut librorum, aut præceptorum ratione, quoslibet obuios libros legimus, & quoslibet præceptores, sine discrimine audimus: & (quod omnium primum caput est) ordinem, ac methodum, plurimi faciendam, quòd in ea posita sunt omnia, nihili facimus. Ideò dediscenda non sine ingenti sudore, ac sumptu addiscimus. Quo fit, vt quò maiores addiscendi gratia labores assumimus, eò minores in Philosophia naturæ progreßiones habeamus. In hos scopulos te, Sapientißime Princeps, nunquam impegisse, nec ad illos, nec ad alios allisisse illi intelligunt omnes, qui summam tuam eruditio-

eruditionem intus & in cute nouerint. Tu de omnibus bonis artibus, de Philosophia præsertim es quamoptimè meritus. Nec mirum Tu enim eruditis præceptoribus operam dedisti semper, ac semper, & vbique probatos libros diurna, atque nocturna manu versasti, illamque vnam methodum, optimam ducem, statim à pueritia imbibisti, quæ te, veluti manu quadam appræhensum, in diuina Philosophiæ Sacraria intromisit. Quapropter verè felix, & verè beata Respublica tua est; quæ te Parentem, ac Principem Philosophum habet, & quam moderaris tu Princeps, & Parens: qui diuina quadam sorte philosopharis; dignus propterea, qui quàmdiutissimè viuas, multisque prouincijs præsis, vt quot quot sunt in illis mortales, tot, tantisque bonis fruantur, quot, quãtisque vnum istud tuum Vrbinum fruitur. Cæterùm quòd ad me attinet, tibi Principi optimo, quem omnes gentes suspiciunt, & admirantur

rantur, teque vnum ſibi Dominum expoſcunt, & quem ego, pro ſublimi ingenio, & innumeris virtutibus, inprimis autem bonarum artium, & Philoſophiæ præſertim cognitione, iam diu colendum mihi, ac venerandum ſtatui. (Tantum enim doctrinæ bonum in celſiſſima ſede dignitatis eò maius, & admiratione dignius videri ſolet, quò rarius accidit; vt qui imperium in alios habent, paucis, aut ne paucis quidem philoſophari velint) vt aliquo exemplo nonnullam in te mei animi propenſam voluntatem indicarem; hanc ex Ariſtotelis monumentis docendi, diſcendique methodum, opera mea deprom-ptam, tuo nomini (& ſi munus leuius eſt, quàm vt tua Amplitudine dignum videatur) nuncupare cõſtitui. Pro eo quin etiã, quòd cùm acri excellas ingenio in aliorum ſcriptis expendendis, iudicandiſque, æſtimare quàm optimè poteris, quantũ laboris, quantum induſtriæ impenderim, & quã

multas

multas noctes insomnes duxerim in his meis, quantuliscunque retexendis vigilijs, si non magnis, certe (vt ego quidem existimo) non omnino improbandis. Mittendi etiam ad te libri alia longè grauior causa fuit, quòd sciam, quanta cum Francisco Mediceo Hetruriæ Magno Duce Serenißimo sis neceßitudine coniunctus. Eam ob rem me illi rem gratißimam facturum pro comperto habeo, speroque futurum, & opto, vt ille de hac dedicatione me plusculũ etiam diligat. Huc acceßit, quòd tu (quæ est summa tua benignitas) cùm olim Florentiam aduenisses, me officij, atque honoris gratia ad te euntem vultu adeò læto, adeò clementi accepisti, & agnouisti, ut ingrati animi notam effugere nulla ratione valeam, nisi obseruãtiæ erga te meæ (quo ad eius fieri potest) hoc monumentum ostendam; quando illud, quod debeo, per meas tenuißimas vires præstare nequeo. His, & cõpluribus alijs argumen

tis,

tis, quæ recenſere nimis longum foret, adductus breuem hanc de Peripatetica methodo commentationem Tibi dicaui, eandemque ſub tuis feliciſsimis auſpicijs in vulgus prodire conſtitui: cuius ſolius grandi auctoritate à calumniatorum iniurijs ſub tuæ ſemper virentis ROBORIS frondibus ſemetipſam tueri, ac defendere poterit. Vale, Princeps optime, & Borrium tuum, tibi deditiſsimum (quod facis) ama, & maiora expecta, quæ propediem edentur. Ex academia Piſana Kal. *Octobris.* 1584.

STVDIOSO LECTORI

Io. Baptiſta Cartenius Bagnonenſis. S. P. D.

HIERONYMVS Borrius Arretinus in peripatetica diſciplina, doctiſsimorum hominum iudicio, hac tempeſtate, facile princeps, vt, tamquam alterum Theophraſtum, doctrinæ ſuæ hæredem Ariſtoteles reliquiſſe videatur, ſuperiore anno Methodum, qua Philoſophus in ſcribendo vtebatur, auditoribus ſuis impertiuit: quæ cum nonnullorum negligentia, a quibus deſcripta fuerat, mutila circumferretur, & a ſtudioſis efflagitaretur, meis, aliorumq; precibus, ab humaniſsimo auctore correcta, & aucta, ad communem vtilitatem, in lucem editur: quod quanto illis futurum ſit vſui, qui Ariſtotelicam philoſophiam amant, non facile dixerim. Hoc certum eſt neminem in legendis peripateticorum libris diligentiorem eſſe, neminem Ariſtotelis artificium melius animaduertiſſe: quod ita eſſe perſpiciunt, qui eum de ſuperiore, eodemque omnium primo loco in hac nobiliſsima Piſana Academia philoſophiam profitentem audiunt. Equidem numquam illum audi-

ui

ui, quin innumeros ferè Ariſtotelis locos, ad ea, quæ explicabat, pertinentes, attulerit, ex quorum collatione, omiſsis multorum interpretum ineptijs, veritatem elicere conſueuit. Si quæris, optime lector, quomodo hic præſtantiſsimus Philoſophus tantam doctrinam ſibi comparauerit; illum ſcito, hac ſemper vſum fuiſſe methodo: quam ſi tibi imitandam propoſueris, profectò quantum profeceris, non te pænitebit; ſimulq; intelliges, quantum hæc recta philoſophandi via a multis aliorum differat: quas qui ſequuntur in multos Meandros, & Labyrinthos incidant, neceſſe eſt. Interim fruere hoc munere, & alia longe maiora expecta, quæ non multo poſt diuulgabuntur. Vale Piſis CIↃ IↃ XXCIV.

DE HIERONYMO BORRIO Arretino Philosophorum præstantissimo.

Æmilius Vezzosius Arretinus ad Lectores.

HActenus in tenebris, & cæco carcere mansit
Ordo Stagiritæ mirus Aristotelis:
Barbara non Arabum, non Greca, nec Itala tellus
Occultum nouit, quo docet ille, modum.
Intima nunc solus Sophiæ penetralia vidit
BORRIVS, in lucem solus & illa dedit.
Vos ergo gaudete viri, quos Tuscia claros
Edidit, & fluidis abluit Arnus aquis;
Vos, quibus & quondam Iani Vertumnia coniux,
Ianigenæ, nomen tradidit atque locum;
Hunc celebrate virum, sublimia tollite ad astra:
Pyramides Memphis, magnaque Roma canant.

SEBASTIANI SANLEOLINI Florentini in Borrianam Peripateticæ philosophiæ methodum.

QVisquis Aristotelē, & Sophię penetralia san
Siue docere: breui discere siuè cupis, (Eta
Pergito, difficilis quà per compendia callis
Borrius, aut potius monstrat Apollo viam.
Sic facilis victor sistes in vertice Montis,
Natura, & rerum quo sedet alma Parens.

HIE-

HIERONYMVS BORRIVS ARRETINVS,

De Peripatetica docendi atque addiscendi Methodo,

AD FRANCISCVM MARIAM FERETRIVM VRBINATIVM DVCEM SERENISSIMVM.

Aucthoris consilium, Cap. I.

PICTORES, quod (vos Candidissimi lectores) minime ignoratis, non sunt vnius generis, sed duorum; quidam sunt, qui cum ad alicuius formosæ virginis imaginem, propriis coloribus, ad viuum, exprimendam, aggrediuntur, illam aut sine capite, aut sine manibus, aut sine quouis alio membro, aut cum omnibus quidem membris, sed nulla ordinis ratione dispositis, aut cum omnibus, ordineque distributis, ex diuersis tamen animalibus, in vnum coaceruatis, omnibus spectandam proponunt: hi stomachum faciunt, risumque mouent: vt fuit ille, qui humano capiti ceruicem equinam

iungere voluit, & varias inducere plumas; & vndique collatis membris, effecit, vt turpiter atrum desineret in piscem mulier, quę fuerat formosa superne, vtque, nec pes,
2 nec caput vni redderetur formæ: Quidam vero pictores sunt; qui nihil, quod ad pingendam formosam virginem pertinere videatur, intactum derelinquunt, nihil alienum affingunt, nihil non suo in loco collocant, virginemque tenui prius penicillo delineant, carnibusque superuestiunt, proprijs tandem coloribus, (quod constituerant) ad viuum exprimunt: omnibusque mortalibus, summa cum admiratione, summaque cum delectatione contemplandam virginem, in publicum producunt, illamque videndi omnibus facultatem præbent: hi semetipsos dignissimos reddunt, qui innumeris laudibus, supra sidera tollantur: Hanc pictoris artem, ad cuius normam, vniuersam pictæ virginis imaginem, pictor direxit, non omnes spectatores intelligunt, sed illi soli, qui summo, integroque iudicio præditi quod natura duce, artisque præceptis, & bonorum auctorum lectione diuturna, assiduaque, tum exercitatione, tum imitatione comparari solet, & de aliorum picturis iudicare, valent, & ipsi, ex arte pingere didicerunt: quæ enim quisque nouit, de ijs vere iudicat, eorumque æquus est æstimator: vt docet Aristoteles libro primo ethicorum

corum, capite tertio: hinc prouerbium: ne sutor supra soleam. Ego, aut priuatim fando, aut publice profitendo, orando atque scribendo, aut cum literarijs hostibus,& comminus, & eminus congressurus, manusque conferturus, in arenam literariam descendendo, artis infrascriptas omnes præceptiones, pro mea virili, seruare contendo: vt rationi consentanea sint maxime omnia, quæ a me, aut mente concipiuntur, aut calamo scribuntur, aut publice docentur, aut oratione comprænhenduntur, aut cum amicis comunicantur: id cum auditorum meorum concors, consentiensque corona nouisset, atque probasset, vt meam hanc, immo dubio procul Aristotelis methodum, literis consignarem, eandemque publicarem, me orare nunquam conquieuerunt, nisi postquam, perfecta re, me in suam sententiam transtulerunt: quapropter, in meorum auditorum (gratiam) ad ea scribenda, quæ ad hanc Aristoteleam methodum pertinent, (felicissimis immortalis Dei auspicijs) manum admoueo.

De huius disputationis vtilitate, necessitate ac difficultate. Cap. II.

RAtio exigit, & auditorum vtilitas postulat, vt id docendi genus, quod Præceptores, inter docẽdum, tenere constituunt,

initio interpr*æ*tationis librorũ,quos explanandos suscipiunt,suis auditoribus tradere non grauentur:ad quod ordinis,& methodi ratio magnum, immo dubio procul maximum addiumentum affert;quippe fieri nequit, vt falsum sit illud, quod ab Aristotele scribitur,libro secundo diuinorum, particula decimaquinta : vbi maxime nititur ostendere, eos homines, qui addiscendi gratia, omnes neruos intendunt, paruos tamen,& paucos, aut forte nullos in re litteraria progressus faciũt,maximopere allucinarij,cum aliud quippiam causantur, quam huiusce methodi ignorationem. Qui ergo veritatis capessendæ ardore flagrat, priusquam animum ad illam conuertat,eruditus,institutusque esse debet, quemadmodum, & quatenus quicque appræhendendum sit:quod ad hanc vnam addiscendi Methodum pertinet: & huiusce rei,ibi causam reddit Aristoteles, dicens: alienum esse simul & cognitionem, ac scientiam,& cognitionis,scientiæque artem,& rationem quærere:& huius primæ causæ, alia secunda causa ab Aristotele redditur(dicēte:)fieri nulla ratione posse,vt quis, & scientiam, & capessendæ scientiæ artem, ac Methodum simul addiscat:Necesse igitur est, si ad optatum addiscendi finem peruenire velimus,vt prius quam, alium lapidem moueamus, hunc vnum, qui ad artem ordinem, ac methodum pertinet, non tantum moue-

moueamus, sed e promoueamus etiam: alioquin, nec scientias, nec artes addiscemus: & nobis id accidet, quod illis accidere consueuit, qui terminum viæ docēt: cum nec viam, nec terminum viæ nouerint: nobisque vsu etiam veniet id quod cuidam Medico iam pridem vsu venisse scribit Auerroes, in eiusdem particulæ decimequintæ, libri secundi diuinorum, calce: qui Medicus, cum ægrotanti medicinam potandam prius dedisset, & ea exhibita, ad medicinæ factitādæ artem, adapertis libris posterius accessisset, ægrotantem interfecit: Si igitur absurdum est simul scientiam quærere, simulque quomodo ipsa scientia generetur, & comparetur, indagare: longe absurdius erit, addiscendi arte, omni ex parte neglecta, scientiam (quod minime continget) capessere velle: facimus nimis audax, nimisque temerarium est hoc: ideo ab Aristotele sępenumero detestati fuerunt antiqui Philosophi, non tantum, vt ignari illarum rerum, de quibus, sine Methodo desputabant: sed multo etiam magis, vt audaces, & temerarij, quibus in consilium erat, de via eundum vię tamen terminum non inueniendum temerario ausu quærere, atque inuenire audebant: Necesse enim erat, eos decipi, qui de relicta, neglectaque addiscendi arte, ad rem aliquam cognoscendam aggrediebantur: vtilis ergo, & late patens, immo dubio

procul necessaria est hæc Methodus in omnibus, quæ de Naturalibus, & Mathematicis, atque Diuinis rebus proponuntur quæstionibus: Quis enim elementorum, & plantarum, & animalium, & hominum, & cælestium globorum, & punctorum, linearum, corporum, ominumque magnitudinum? Quis Diuinarum mētium, aliarumque omnium rerum, quę natura fiunt, & constant, numerum, vires, & progreſsiones agnitas explicabit, qui, qua via, ad hæc omnia mente concipienda, atque explicanda perueniendum ſit ignoret? fieri ergo nequit, vt cur, quidque, in quauis arte, ac ſcientia præcipiatur, intelligant illi, qui ordinem, ac methodum illam non tenent: quam is, qui artem, & ſcientiam tradit, ſeruare vult: qui nullum ordinem, in docendo ſeruant, ſed omnia commiſcentes confundunt, a Doctorum numero arceri debent: quod omne oleum, omnemque operam & ipſi perdant, & in cauſa ſint, cur a diſcipulis Siſyphi ſaxum; quo diutius voluatur, eo minus promoueatur: cum enim auditores, prægrandem illum addiſcēdi lapidem, ad ſummum ſalebroſi montis verticem, ſe extuliſſe putauerint, repente deorſum ille præceps relabetur: ita a præceptoribus, qui docent, & a diſcipulis, qui addiſcunt, tempus fruſtra conteritur: at Doctor, qui docendorum ordinem, at methodum ab Ariſtotele tradi-

tam, & semper, & vbique seruatam, tenet, nullo negocio docet, & discipulus, qui addiscit, nullo cum labore addiscit: Hic ordo, & hæc methodus, illiusque summa necessitas, duobus exemplis ab Aristotele petitis confirmari potest: scripsit ille libro duodecimo diuinorum, particula quinquagesima secunda: in optime instituta familia, homines liberos educari, ad laudem, atque virtutem, ad decus, & emolumentum domestice societatis, seruos autem maximam vitæ partem, in operibus sordidis occupari, nec multum vtilitatis conferre, ac per ignorantiam, & libidinem, multa peccare: ita profecto fit, in omni doctrina Aristotelis; in qua nihil non rectè, non ordine, non methodo, non sapienter scriptum est, quod ad pulcritudinem maiestatemque doctrinæ minime conducat: omnia suo in loco, optima methodo leguntur: vt omnia in domo, quã bene instituta, ordinantur: Alterum exemplum, ab exercitu, quãtumuis numeroso, petitur: in quo est ordo in cuius constitutione, & conseruatione, vniuersa salus, vniuersaque victoria posita est: etenim singuli quique milites ab vno decurione, pendent quinque decuriones ab vno quinquagenario, duo quinquagenarij ab vno centurione, decem centuriones ab vno millenario, omnes millenarij, centuriones, quinquagenarij, decuriones, & singuli quique milites, ab vnius, &

ſolius Imperatoris nutu, penes quem eſt po
teſtas vitæ, & necis pendent omnes: Hoc
vno ordinis vinculo totus exercitus conti-
netur, & milites quendam admirabilem, ef
ficiunt inter ſe copulati concentum: huius
ordinis ſumma vi caſtra, acies, machinæ,
æquites, pedites, vineæ, arietes, teſtudines, &
alia omnia inſtrumenta bellica diſponun-
tur; quo Imperator de hoſtibus victoriam
obtineat; magnoſque in re bellica progreſ
ſus faciat: At ſi in exercitu, quot ſunt homi
nes, & quot ſunt hominum capita, tot ſint
ſentetiæ, neceſſe eſt turbari ordinem, & om
nia confundi, & exercitum quantumuis nu
meroſum, in diuerſas partes diſtrahi, diſcer-
pi, & foede fugari, idque a parua, concordi
tamen, conſentientique militum manu ab-
ſolui. Tertium exemplum addi poteſt: quod
a Morione quodam petendum eſt: qui in
hæri culinam ligna de more ferebat, & ex
infima lignorum ſtrue, ea prius reuellebat,
quæ moueri, ſine magno labore, non pote-
rant: Hic certe non vidit, quantum referret
ſingula ordine tollere: quod hæc noſtra le-
gentes, (vt ſpero) videbunt. Vtilis eſt ergo,
& grandis queſtio, de methodo, & maxime
digna, vt in ea explananda, quilibet, quan-
tumuis preſtantiſsimus Doctor, laboret: nec
propterea vereri debet, ne a ſua dignitate
cadat: quandoquidem, nullus artifex, in
hac vaſtiſsima totius orbis vniuerſitate inue
nitur

hitur, qui sine ea, quę est omni ex parte absoluta, methodi plena cognitione, quicquā boni, aut inuenire, aut disponere, aut literis mandare, aut docere, aut ab alijs inuenta, ac disposita, & posteritati tradita, atque alijs comunicata, intelligere valeat. Ab hac Methodo, qua cōparatur, a nobis, quicquid, in rebus agendis, contemplandisque, vtile pulcrum, ac necessarium habetur, omnis desidia immortali odio persequitur: ab illa, quæ sunt laborum plena diliguntur, ea non ocio, sed negocio delectatur: ab ea omnes voluptatum illecebræ repudiatur: hæc ignauia languescit & penitus eneruatur: meditatione assidua, & crebra exercitatione nutritur, fouetur, adolescit, amplificatur, & ad maturam frugem perducitur: estq; ei nullum magis letale venenum, quam ignauia, quam desidia, quam a studijs auocatio: Hic tamen summus labor, summa iucunditate, vtilitate, ac cognitionis necessitate compensatur: dum hac methodo duce, ex profundo, in quo abdita latitat, omnis veritas eruitur, & eruta hoc tempore, in quo per pauci ad illam aspirant, agnoscendam suadetur. Cum itaque tanta sit ordinis, ac methodi, non solum vtilitas, sed etiam necessitas, grandisq; maiestas mirandum profecto, mirandum non est, si meis auditoribus, id enixe flagitantibus, meæ huius, ex abditissimis Aristotelis penetralibus, ha-

ustæ methodi tantum impertiar, quantum addiscendi cupidis debetur.

Methodum non esse ordinem, sed cum ordine maxime coniunctam. Cap. III.

CVm sine dubio methodus ordinis natura, & illius quidem summi prædita sit, non tamen satis apertum, exploratumque esse videatur: vtrum methodus ordo sit, an potius in apta, ordinataque partium compositione consistat; inuestiganda est, atque constituenda ordinis ratio: ea ergo est, vt omnia, quæ ordine distribuuntur, ad vnum primum positum, intelligentiaque compræhensum, referantur: vt ex illis colligitur, quę ab Aristotele scribuntur, libro quinto diuinorum, particula decimasesta: Hinc factum est; vt sine prioribus, & posterioribus, quæ sunt ordinis differentiæ, nihil loci relinquatur ordini; id quod ex illis intelligere decet, quæ Aristoteles memoriæ prodidit, in cathegoria quantitatis, dum scripsit: quantitatem, pro eo, quod habet prius, & posterius, habere ordinem: hinc conficitur rationem ordinis, sine priori, & posteriori, & prius, & posterius sine primo, nusquam inueniri: ergo, si primum nullum existat, à quo cunctarum rerum ordo nascatur, innumerabilitas rerum introducenda erit infinita: quam Aristoteles libro tertio de physico au-

ditu

ditu, particula vigesimaquarta, & deinceps, & libro primo de cœlo a particula trigesima tertia, & libro secundo diuinorum, & sæpenumero alibi, efficacissimis rationibus euertere contendit: illa inter alia ratiocinatione; quod omnium rerum scientia destrueretur ab illo, qui hanc rerum infinitatem introduceret: quandoquidem non ex infinitis, sed ex finitis, omnes scientiæ comparantur: vt scriptum reliquit Aristoteles libro primo posteriorum analyticorum, & libro secundo diuinorum: infinitum enim secundum, quod infinitũ, est suapte natura, ignotum: particula vndecima eiusdem secundi libri diuinorum: at si detur infinitum cognosci posse: à nostra mente finita nunquam intelligetur. Nos autem hac nostra Aristotelea methodo, & ipsi scientiam comparare, nostris omnibus neruis cõtendimus, & comparatam, qua possumus breui facili, & certa ratione alijs comunicare conamur: Hic rerum cognoscendarum ordo finitus non est methodus, sed cum methodo vsque adeo coniunctus, vt ab illa, nulla violentia, quantumuis maxima possit auelli: nisi enim aliquod primum sit, ad quod posteriora ordinis vinculo, eo qui dissolui nequeat, referant se se, vniuersa methodi ratio tolletur funditus: eam ob rem de ordine, qui cum hac nostra methodo coniungitur, hæc pauca sufficiant.

Quæstiones de methodo exagitandæ proponuntur.
Cap. IIII.

HIs absolutis, ea sunt ordine proponenda, quæ ab hac tota tractatione disputabuntur: hæc paucioribus, quam fieri poterit verbis absoluentur. Cum igitur ex posterioribus analyticis, quæstio, qua quæritur: quid vnaqueque vox significet, plerasque
1 alias omnes quæstiones anteeat: Primo,
2 quid methodi nomen; secundo, quid res
3 ipsa significet, inuestigabitur: Tertio, quot sunt, methodorum intermedia genera, siue illas intermedias species appellare mauultis:
4 tis: Quarto, quid vnaquæque methodi spe
5 cies sit: Quinto, quis illarum vsus: Sexto,
6 nunquid hæc methodus, & singulæ huius methodi species, ab Aristotele semper, &
7 vbique vsurpentur: Septimo, quomodo Aristotelis argumentationes hac methodo sint suis locis, suisque figuris, & formis reddendæ: Hæc quanquam summa sunt, in breuem tamen orationem, methodi efficacitate, contrahentur: quam methodum, qui intus, & incute norit, multa paucis, longa breuibus, obscura illustribus, summa cum facilitate, summaque cum vtilitate absoluet:

Quid vox methodi significet. *Cap.* V.

Mέθοδος, est vox græca; quæ latine, viam significat, non tamen quanlibet, sed

breuem

breuem illam quidem, qua vna duce, ad peritiam quam celerrime ducimur, aut breue compendium, aut breuem artem, & rationem addiſcendi, atque docendi: græcam hanc methodi vocem, multi, ijdemque primæ claſsis latini authores ita trãſtulerunt: vt Budæus, in annotationibus, in pandectas, Theodorus Gazza, in ſuis tranſlationibus: Quintilianus, in ſuis inſtitutionibus: & latinæ eloquentiæ princeps Cicero, cum pluribus in locis: Horum exempla, digniſſimæ quidem, quæ imitentur, ſecuti, nos, pro græca methodo, latinam viam vſurpamus: Vocis energia explicata, nunc ſupereſt, vt rei ipſius vis, & natura propria ita aperiatur, vt omnibus ignorationis tenebris fugatis, in media veritatis luce conſtituamur: quod ad vnguem ſeruandum fore, ex illis aſſequimur, quæ leguntur apud Ariſtotelem libro primo de cælo, particula decima ſupra centeſimam: cuius hæc eſt ſententia: Siquis eo vtatur quod multis modis dicitur, perinde ac ſi, vno tantum modo diceretur, vt illius incertus ſit animus, & hac, atque illac perfluat, neceſſe eſt: ſic enim incertum eſt, qua in ſignificatione, quod dicitur, intelligi debeat: ex quo loco, & vocis explicandæ neceſsitas, & illius rei cauſa manifeſtatur: ne ſcilicet, qui dicit, fluctuare cogatur: cogitur autem fluctuare: quia vocum ipſarum, quibus res exprimuntur, numerus

pag. 94.

merus, est rerum numero longe maior: quo fit, vt vna voce res multas significari necesse sit: vnde, qui ignorat, quæ sit vocum vis, & significatio, facile decipitur: ex libro primo elencorum, capite primo: His hæc postrema ratio additur, ex libro primo de interpretatione, capite primo, hausta. Voces (inquit Aristoteles) sunt animi notionum interpretes, & animi notiones sunt indices rerum illarum, quæ sunt extra animam; voces ergo primo omnium loco nouisse oportet; & vocum explanationi locus primus dari debet: secundus verò locus, rei ipsius naturæ aperiendæ dabitur: quod definitione satis superque præstabitur: quæ cum ex genere, & differentijs conflari debeat, quod sit methodi genus, & quæ sint illius differentiæ quærendum est: has nulla alia, quam diuisionis methodo, inuestigare oportet: vt notum est ex his, quæ ab Aristotele disputantur, libro secundo posteriorum capite decimoquarto.

Methodi definitio. *Cap.* *V.I.*

NON solum, quid methodi vox significet, sed multo etiam magis, quæ sit vis propria, naturaque illius propria nunc expendendum erit: ne quod grammatici præstare solent, ipsi tātum præstitisse videamur: Methodus ergo est via compendiaria perdiscendi,

ſcendi, qua duce, ad doctrinam, atque peri tiam quam celerrime aſcendimus. Hac defi nitione, non methodi tantum corticem, ſed etiam rem ipſam, medullitus introſpi- ciemus tunc, cum ſingulas definitionis par tes (vt par eſt) explicabimus, ex illis pre- ſertim, quæ ex Ariſtotelis doctrina hauſta fuerint, libro primo de cælo, particula vi- geſimaſeptima, & vigeſima octaua, & ex ſe cundo libro de cælo, eadem vigeſima octa- ua particula: ex quibus locis hæc omnia ar tificioſa methodo colliguntur: Omnis men ſura eſt certa, breuis, terminata, recta, faci- lis, & vna: atqui inter duo data puncta, quan tumuis diſtantia, vna tantum, certa, recta, breuis, facilis, ac terminata linea cadit, in- flexæ vero, incertæ, interminatæ, longæ, ac difficiles, ſunt infinitæ: ergo menſura, per lineam rectam, non autem per inflexam, fieri debet: quia ſola recta linea eſt certa, breuis, terminata, facilis, & vna: has men- ſuræ conditiones eſſe, notum eſt ex his, quę paulo ante memorauimus, & ex libro quin to phyſicorum, particula vigeſimaquarta, & non raro alibi: ideo ſi ego abſte menſuram petiero, & tu vnam inflexam lineam mihi petenti dabis, datam abſte, ſemper ego reiі- ciam, & aliam poſtulabo: at ſi tu vnam re- ctam lineam, mihi enixe flagitanti, dare ma lueris, illam reicere minime potero, vt aliã petam, quæ hac vna recta linea excepta, nu

ſquam

quam eſt; vna ergo illa linea certa, recta, terminata, facilis, & breuis, poſtulata, & pręſtita, mænſura erit: quò fit, vt in menſura hæc omnia inſint bona: Primo menſura futura eſt breuis; Secundo futura eſt recta, Tertio futura eſt certa, Quarto futura eſt terminata; Quinto futura eſt facilis: Seſto futura eſt vna; Ab hac Ariſtotelea menſura, ad vias deflectimus; quippe omnes menſurantur; ergo linea breui, & recta, & certa, & terminata, & facili, & vna menſurabuntur: ex iſtis ſex menſuræ conditionibus, ſex differentiæ naſcentur, ex quibus hæc poſterior, priore longe magis abſoluta methodi definitio conflabitur: Methodus ergo eſt « via breuis, recta, certa, terminata, facilis, & « vna, qua duce, ad doctrinam, atque peri-« tiam comparandam aſcendimus: Via eſt lo « co generis; quoniam omnis methodus eſt via, & non omnis via eſt methodus: multæ enim ſunt viæ, quæ non ſunt methodi: vt via auis per medium aerem volantis, & piſcis, per mare natantis, & brutorum, per nemorum ſepticeta currentium, & aliæ eiuſdem claſsis; Breuis ad longæ differentiam ſcribitur: per rectam ab inflexa hæc linea differt: per certam ab incerta; per teminatam ab interminata: per facilem, a difficili diſcrepat: vna, a multis, hanc methodum diſterminat: per illud, quod additur, hanc viam, ad doctrinam, ac peritiam ducere.

hæc

hæc methodus ab alijs vijs disterminatur: quæ non sunt methodi, nec omnes ad doctrinam, & peritiam ducunt: vt est ratiocinatio, demostratio, inductio, exemplum, definitio, & enthymema: quæ non sunt methodi, sed termini, qui, per hanc nuper descriptam methodum, inueniuntur: ideo huius definitionis complexu non cohercentur: additæ sunt etiam hæ duæ voces: ad doctrinam, atque peritiam: quia doctus minor est, quam peritus, vt putat Nonius; harum etiam vocum discrimen agnouit Cicero, latinæ linguæ peritissimus, libro primo, & tertio de officijs, dum dixit. Itaque cum sint, Docti a Peritis, facile desistunt sententia: & in oratione pro Font. Homo doctus, vel etiam vsu peritus: vbi hæc dictio, vel diuersa disiungit: Hæc est illa peritia de qua Aristoteles scripsit libro primo de partibus animalium, capite primo: qua duce, de quauis re, quæcunque sit proposita, non tantum disputamus, sed quid, & quomodo vnũquodque, a nobis, & ab alijs disputãdum sit, agnoscimus; & an ea, quæ tum à nobis, tum ab alijs recte, an perperam disputentur, iudicamus: quo fit, vt hæc peritia vniuersa ad nostrum disputandi artificium, a nobis adunguem seruandum, & num a nobis, & ab alijs seruatum fuerit, agnoscendum, pertinere videatur: nosque eorum, quæ a nobis, & ab alijs discutiantur, integerrimos iudices con

stituit: Hæc methodus, cum sit vna, necesse est, vt ab Aristotele semper, & vbique seruetur: ne hæc Aristoteli, suarum præceptionum obseruantissimo, inobseruantiæ nota iniuratur: Hanc methodum hoc loco descriptam, qui mordicus teneat, magna cum facilitate, magnaque cum breuitate, ac magnis cum progressibus, philosophabitur. Extra hanc vnam, nulla est ad philosophandum via: & qui hanc tenuerit, quanquam gradu, vel etiam testudineo incedit, ad optatum, tandem finem perducitur: & eo citius, quo concitatius currit, Extra hanc viam rectam omnes aliæ sunt inflexæ: quas qui ingredietur, eo magis a fine discedet, quo velocius curret.

Quæstio soluitur: quæ ex præcedenti capite nascitur. Cap. VII.

CApite proxime præcedenti, a methodo explosa demonstratio, ac definitio est: quæ inter methodos ab Aristotele referuntur, libro primo de anima, particula quarta & octaua: vbi viæ, & methodi ab Aristotele in disquisitionem vocantur, dum quæritur: sit ne vna via, & methodus, vel plures, inueniendi rerum essentias: idest, sit ne ea, vel demostratio, vel diuisio, vel definitio: Ergo demonstratio, & definitio, inter methodos cũ diuisione ab Aristotele referuntur, quæ in metho-

methodorum solos vltimos terminos, per methodos inuestigandos, a nobis supra relegantur. Pro huius quæstionis solutione, animaduertant lectores, ab Aristotele, ibi locorum, res disputandas in quæstionem arcessitas fuisse, & nullius propositæ quæstionis exitum, Aristotelem ibi explicasse: ideo, ex eo loco nihil certi colligi posse: at si quis rem vrgeat: vrgenti respondebitur: Aristotelem non raro consueße vsurpare, viam, ac methodum, non pro sola via, sed etiam, pro termino, cum via, ac methodo coniuncto: quæ duo, ideſt, via, ac viæ terminus sunt vnum, & idem subiecto, & sola ratione discrepant: sicut motus, qui est, perinde ac si esset via, & ad motus terminum fertur, est idem re ipsa, cum suo ipsius termino sola ratione diuersus: ex Aristotelis doctrina libro tertio physicorum particula quarta, & non raro alibi: de methodo, & via idem sentiendum: quæ a termino viæ, non subiecto, sed sola ratione differt: est ergo demonstratio, ac definitio, via, & methodus: quia vtraque est terminus viæ: & nulla illarum est, proprie via: sed viæ tantum ambæ sunt termini eatenus pro vijs vsurpati, quatenus vias finiunt, ac terminant: quarum sunt extremę partes.

Alexandrum, Ammonium, & alios veterrimos Philosophos, peripateticam hanc methodi cognitionem assecutos non fuisse Cap. VIII.

HANC methodi vim naturamquæ propriam, nec Alexander, nec Ammonius, nec Philoponus, nec Simplicius, nec Eustratius, nec alij grauissimi, ac veterrimi philosophi, similes, qui ab illorum parte steterunt, assecuti fuerunt: quorum errores confutare locus iste non patitur: in quo de methodo, suapte natura breui, breuiore methodo, disputatur: nec aliquod inde absurdum sequitur: propterea quod ex aliorum ruinis, nostrum ædificium non construitur: vt in his, quæ de republica, Diuinus Plato, quam optimè scripsit, & experientia, rerum omnium magistra, docet: Huius breuissimæ methodi quam methodo docemus, vna tãtum est vniuersa methodus, qua docemus, nec illam, in multas methodos diducimus: sicut logicam Aristoteles logica docuit: & logicæ præceptiones, quas docuit, logicam docendo, adunguem seruauit, nec supra, nec extra eam logicam, quam Aristoteles docuit, est alia logica: ita nec supra, nec extra methodum illam, quam docere cõtendimus, nulla est alia methodus: quod multi cum non assequantur, a veritate desciuerunt: dum vias & methodos, nulla vrgente necessitate, mul-

multiplicarunt: Animaduertendum ergo, solum logicum illum esse, qui & Methodum, & Methodi vsum doceat: logicus autem, & alij artifices Methodo vtuntur: logicus, ratiocinationem in sua principia, & illa in subiectum, & attributum; Analysi dissoluit, & subiectum, & attributum, in principia, & illa in ratiocinationem Synthesi componit: & hæc omnia definiendo Diæresi explanat: Idem de Naturali philosopho sentiēdum, qui Corpus naturale, in materiam, & formam, & priuationem Analytica Methodo retexit: & materiam, formam, & priuationem, in Corpus naturale synthesi colligit: & quid vnum quodque istorum sit definitione, quæ Diæresis Methodo comparatur, explicat: idem est, de artificibus aliis sentiendum: Audiendi ergo non sunt illi: qui Methodum non esse viam causantur: propterea quod Methodo, & tradatur maxime, & ad vsum conuertatur maxime: ergo vna tantum est genere via, & tres, viæ sunt specie distinctæ, vnius generis complexu, quæ coherceantur: & qui Methodum docet, illam docendo seruat: & qui Methodo, quam didicit, vtitur, nullam nouam Methodum, ad nouam incudem, cudit, sed antiqua Methodo, ab antiqua logica, tradita, vtitur; qua propter vna est genere via, & multæ idest tres sunt specie viæ; & nulla est via viæ.

De methodorum generibus. Cap. *VIII.*

HAc secunda propositæ commentationis parte absoluta; ad tertiam ejusdem partem ad optatum exitum perducendam dicendorum methodus, & ordo nos vocat: in qua methodorum genera in quæstionem vocantur: dum quæritur: quot, & quæ illa sint apud Aristotelem; Magnis quidem amboribus, tria tantum, nec plura; nec pauciora; docendi, atquæ, addiscendi genera placet esse: vnum dicitur ἀνάλυσις: idest dissolutio, alterum σύνθεσις vocatur: illud nos; construtionem, vel compositionem, nun cupare possumus: tertium διαίρεσις idest diuisio appellatur: quæ tria docendi, atque addiscendi genera naturæ consentanea sunt maxime: quam naturam, non tantum hæ docendi; atquæ addiscendi rationes, ad scientiam capessendam pertinentes, sed pleræque aliæ omnes artes immitantur: ex libro secundo de physico auditu, particula vigesima secunda: Id qua nam ratione verum sit, Architecti exemplo, omnium appositissimo, manifestabitur: Hic ad alicuius domius structuram accessurus, manum ad edificandam, non prius admouet, quam ad hæc tria methodorum genera, tanquam ad certissimam regulam, vniuersum construendum edificium dirigat: quod tunc manifestum fiet; cum methodorum genera, definiendo

explanata fuerint: nam omnes, de aliqua re, a recta ratione susceptæ institutiones, nisi quibusdam veluti definitionum formulis aperiantur, minime intelligetur, quid sit illud, de quo disputetur: Haurientur autem definitiones ex his, quæ ab Aristotele posteritati tradita fuerunt, libro secundo physicorum, particula septuagesimaquinta, & deinceps: naturam certe, & quodlibet agẽs naturale, propter solum finem agere: ad quem omnia pertinent: Agens, quanquam a fine, ad agendum mouetur: illæ tamen verus motus non est, sed methaphoricus, ex doctrina Aristotelis, libro primo de ortu, & interitu, particula quinquagesimaquinta: Hic finis duobus modis considerari potest: semel, in anima, secundo extra animam: prima ratione, non vt finis, sed vt efficiens mouere dicitur: secundo modo mouet, vt finis: Mentes singulares, quę a materia sunt immunes, motionis causæ sunt, vt efficientes, ac vt fines. Exemplum ab Auerroe scribitur, libro duodecimo diuinorum, commentatione trigesimasexta à balneo petitum, existente in anima, ac vt efficiens ægrotantem mouente, & extra animam inuento: quod non vt efficiens, sed vt finis, amatus, ac desideratus ægrotantem ad semet ipsum concitat: istæ duæ formæ sic comparatæ sunt, vt altera, quę est extra animam, cum ipsa materia coniungatur: altera sine

materia, in anima hæreat infixa: Hæc est illa forma, quæ mirabiles amores, in nobis excitat alterius formæ, cuius ipsa simulacrum existit, & stimulos admouere non intermittit: quo ad cupiditate potiundi, ad alteram formam trahat: Alteruum exemplum, hanc veritatem, & melius, & facilius explicabit: Qui Virginem amat Adolescens, virginis simulacrum mente conceptum, animo condit: a quo vel etiam inuitus, in medio intempestæ noctis, a somno excitatus, nihil veritus frigora, nihil veritus horridam hiemem niuem, glaciem, & pluuiam, præceps ad fores amicæ rapitur: forma illa intima est motionis effectrix, externæ verò finis, quę rationem boni, ideo expetendi, libro primo Ethicorum capite primo, in se se cohibet; In formis a materia liberatis, vna omnino, & eadem existit, atque altera illa, motusque est efficiens causa, pariter ac finis: quippe tria causarum genera, in vnum genus cadunt: idest, forma, & finis, & vnde motus principium ducitur; secundo physicorum particula septuagesima: Finis extra animã, est ille: quem agens, vt bonum, cognitum, & amatum, ac desideratum, expetit, gratia cuius assequendi, omnia agit, & quo non nisi, post exanclatos omnes labores, potitur: licet ab agente, primo omnium loco desideretur: libro secundo de physico auditu, particula ottuagesimanona, & non raro

alibi: Agens, vt hunc optatum finem asse-quatur assidue materiam versat: & ex abditissimis materiæ cuniculis, formas tundit: vt inde fine potiatur: Agens dum suam materiam, vt supra versat, dumque, ex reconditis illius gremio formam elicit, ab imperfecto, ad perfectum progreditur: de quo progressu illud Aristotelis intelligitur, quod ab eodem scribitur: libro primo de historia animalium, & libro secundo de partibus animalium, vtrobique capite primo: vbi elegans ille naturæ apparatus, & ordo describitur: quo natura, dum, ex imperfecto, ad perfectum progreditur, ex primæ materiæ vtero, simplices elementorum formas excutit ac elementa gignit: ex elementis consimiles partes generantur; ex quibus dissimiles procreantur; & ex partibus dissimilibus, totum dissimile producitur; non minus elegans naturæ ordo, apparatusque legitur, libro secundo de partibus animalium, capite tertio, dum dicitur: Animal, in vtero, non statim, vt perfectum animal viuere, sed primo nutriri; vt fruttices nutriuntur: secundo sentire, vt animalia omnia sentiunt: demum intelligere, quod in his, quę sunt infra lunam est hominis proprium: Causa huius ordinis, in natura, ex imperfecto, ad perfectum tendentis, demonstratur libro secundo de anima particula trigesimaprima, & deinceps: Naturæ apparatus iste, & ordo,

ad

ad compoſitionis methodum pertinet: qua compoſitionis methodo, finis, qui eſt extra animam, vltimo omnium loco comparatur: qui methodo diſſolutionis, loco omnium primo deſiderabatur: Finis verò, qui eſt in anima, ab hac definitionis methodo exploditur, quippe, cum in anima, non finis, ſed cauſæ illius, vnde motus principium ducitur, rationem induat: Ex his, quæ hactenus ſcripta fuerunt, trium methodorum, tres definitiones naſcuntur: ideſt, Analyſis, Synthe ſis, & Diæreſis, quæ capite proximè ſequenti, ſcribentur.

De tribus, trium methodorum definitionibus. Cap. X.

ANalyſis, ergo, eſt progreſsio, a fine ad omnes partes, & magnas & paruas, vſque ad minimas.

Syntheſis eſt reuocatio, a partibus minimis, ad maiores, inde ad alias, donec ad finem perueniatur.

Diæreſis eſt, cum ſupræmum genus, per differentias omnes diuiſum, in ſuas ſpecies, ac formas diſtribuitur, rurſuſque ſpecierum ſpecies, per nouas differentias, diuiduntur: quo ad diuidi poſſunt: ſingulæ harum trium methodorum definitiones in ſequentibus explicabuntur.

Analysis data definitio inuoluta euoluitur.
Cap. XI.

ISti methodorum trium ordines, qui a methodo minime separantur: ideo methodi minus propriè nuncupantur: non tantum naturæ, sed etiam arti consentanei sunt maximè: quod Architecti esemplo, paulo ante vsurpato, manifestabitur: qui est artifex naturæ imitator: ideo, vt natura finem, primo loco inuenire satagit: Architectus ergo ad alicuius domus structuram aggressurus, finem, a quo ad ædificandum moueatur, animo concipat: ille est, vt ab horrida hieme, & ab æstiuo solis ardore, & a plerisque aliis omnibus temporum iniurijs, se met ipsum, aliosque omnes habitatores tueatur: hic finis ab Architecto inuentus, in suas partes magnas, & paruas, & minimas, ordine suprascripto retexitur: dum Architectus ratiocinatur: A futura domo tegendi sunt habitatores: Ergo opus est, vt construenda domus prædita sit tecto: a quo tegantur omnes, qui ædificandam domum habitabunt: at quoniam tectum suapte naturam ponderosum, in aere suspensum, minime conseruaretur, sed suopte nixu, præceps deorsum rueret: quo alia omnia grauia feruntur; ex libro primo de cœlo, particula settima, & octaua, & ex tertio, & quarto libro eiusdem: ideo tecti pars magna, in quatuor parietes dissol-

horrida

diſſoluitur: a quibus ne corruat ſuſtinetur: partes iſtæ magnæ in paruas partes diſſoluuntur, vt tectum in trabes, & contignationes, & tegulas, & imbrices diducitur: Hæ ſiue magnæ, ſiue paruæ partes, vt continuata ſunt corpora, diuidua etiam ſunt: nam corpus illud eſt, quod eſt omni ex parte diuiduum: & continuum illud etiam eſt, quod diuiduum eſt, in ea, quæ ſemper, & infinite diuidi poſſunt; primo cœli particula ſecunda; & libro primo de ortu, & interitu, particula octaua, & nona; & non raro alibi; nullus ergo illarum futurus eſt ſectionis finis, vt corpora, vtque continua ſunt: vt vero futuri ſunt ædificij partes, quoniam in partes minores diſſolui nulla, quantauis maxima, violentia vnquam poſſunt, indiuidua corpora nuncupantur. Parietes, quoniam futuri ædificij, & ipſæ partes ſunt magnæ, in lapides, & lateres, & in calcem, & in arenas diſſoluendi ſunt omnes: que & ipſæ non naturæ, ſed parietum partes ſunt minimæ; quæ in alias minores non ſoluuntur; Hac omnium partium ſectione facta; omnes iſtæ partes comparantur: quibus comparatis Analytica metodus finitur: ad comparationem prædictarum partium, Diæreſis eſt tam neceſſaria, quam quæ maxime: ideo Syntheſi derelicta, ad diereſis naturam cognoſcedam aggredior: & Syntheſis vſque in tertium locum, ordine inuerſo, transfertur: qui tunc

inuer-

inuertendus eſt, iuſta doctrinam, ab Ariſtotele traditam, in ueſtibulo libri quinti diuinorum, cum addiſcendi maior difficultas minuitur, in cuius locum facilitas addiſcendi, atque docendi maior, ſufficitur: quod nunc accidit: vt ſequentibus diſceptationibus notum fiet.

Diæreſis definitio explanatur. *Cap. XII.*

EOdem Architecti exemplo diœreſis natura cognoſcitur: ſint nobis exempli loco, Trabes, quas Architectus parare cogitur: Hæ futuræ ſunt: aut Quernæ, aut Populeæ, aut Abiegnæ, aut rectæ, aut inflexæ: tunc Architectus hac methodo argumentatur, & dicit, quernas trabes eligendas non eſſe: quoniam, præter quam, quod graues ſunt, & proprio pondere, parietes pręmunt, ſponte franguntur: non populeas: quia paruo negocio marceſcunt: non inflexas quoniam, præter quam, quod oculi eorum, qui illas aſpiciunt: ab illarum deformitate leduntur; ad rem etiam ipſam, & ad rei ipſius vſum, accomodari nequeant: ergo trabes eligendæ ſunt abiegnæ: quæ, vt quernæ parietes minime præmunt, minimeque franguntur: neque vt populeæ marceſcunt: nec ſunt inflexæ, quæ aſpectum deformitate ledant: ad rem etiam ipſam, & ad rei ipſius vſum, accomodari nequeant: ergo trabes eli

eligendæ ſunt abiegnæ; quæ,vt quernæ, parietes minime præmunt, minimeque franguntur; neque vt populeæ marceſcunt, nec ſunt inflexæ, quæ aſpectum deformitate lædant: ſed rectæ propria ſponte naſcuntur; huius & non alterius generis trabes, eas ob cauſas, ab Architecto comparantur. Hoc comparandarum trabium exemplo, ſatis ſuperque manifeſtum reor, qua methodo Architectus alias futuri ædificij partes eligat. Hinc etiam liquet, diæreſim proximam eſſe analyſi, & illam immediate ſequi, ſi naturæ ordo ſpectetur: Hinc etiam intelligimus, qua ratione Architectus ſuam tantum, & non alienam materiam verſet: diuiſionis etiam vſum, eadem diuiſione aſſequimur. Nam ſicut bonæ trabes, ab Architecto definitione explorantur, & bonarum trabium definitio diuiſione colligitur; ita quarumlibet aliarum, aut artium, aut ſcientiarum particulæ ſunt definitionis vſu explorandæ, & definitionum partes diæreſi ſunt inueſtigandæ: dum a ſupremo generum genere, diuiſionem auſpicamur, & per omnia media, vſque ad infimas ſpecies, deſcendimus.

Synteſis definitio manifeſtatur. Cap. XIII.

RESTAT, vt quæ ſupra ſcripta eſt Syntheſis, ſiue compoſitionis, ſiue cõſtrutionis definitio inuoluta, euoluatur: quod verbis

bis paucioribus, quam fieri poterit, absoluetur: Architectus ergo, (vt ad illum reuertar) dum ad ædes construendas manum admouet, analyticum ordinē inuertit: tunc enim a fine suum principium auspicabatur, & ad extremas partes minimas, per medias omnes, minimis maiores, ferebatur: nunc primæ, ac minimæ futuri ædificij partes, loco omnium primo vsurpātur, & in partes magnas, & magnæ in maximas, hac Synthesis, siuæ compositionis methodo construuntur: donec ad finem tandem ventum fuerit: hic finis analysis metodo fuerat primo loco inuentus; eam ob rem ex lapidibus, ex calce, & arena, alijsque futuri ædificij partibus minimis, simul iunctis, parietes conflantur: super quos tectum ædificatur, atque construitur: ab hoc nuper constructo tecto, Architectus, & alij eiusdem cultores, à temporum iniurijs defenduntur: elegantem hunc ordinem, viam, ac methodum, & natura tenet: quæ non repente, aut simul, opus suum totum efficit: sed a partibus orsa, singulatim progrediendo, totum tandem absoluit; vt ab Aristotele disputatur, tum primo de historia animalium, tum secundo & tertio de illorum partibus, ac generatione: sic artes, quæ naturam imitantur, singulatim, & pedetentim, tum absoluuntur, tum etiam traduntur optime: vt qui ordo earum fuit inueniendarum, & efficiendarum, is demum etiam artium tra-

den-

dendarum, atque addiſcendarum, optimus eſſe videatur: inuerſis tamen inuertendis: vt ſupra mæmoratum fuit: Analyſis enim, a Syntheſi (vt dictum eſt) inuertitur;

Quibus ex locis Ariſtoteleis hæc methodorum genera, ſint haurienda. Cap. XIIII.

QVanquam vniuerſa Ariſtotelis logica huc tendit, vt vniuerſam hanc methodum doceat: & quanquam ex logicæ ignoratione huius methodi ignoratio gignitur: & quanquam ex abſoluta logicæ cognitione, abſoluta huis methodi cognitio comparatur: ex his tamen, quæ ab Ariſtotele infraſcriptis potiſsimum locis poſteritati traduntur, rei ipſius veritas liquido conſtabit:

De duobus ergo methodorum generibus ideſt Syntheſi, & analyſi, ab Ariſtotele verba fiunt, libro tertio ethicorum capite tertio: & geometrarum exemplo explicantur; A geometris omnia quæſita, ad principia omnino prima, per analyſim reuocantur, per ea quæ intermedia ſunt; in qua analyſi nullum medium ſine vitio prætẹriri poteſt; ſequitur ſyntheſis, ideſt compoſitio, ſiue conſtructio: qua Geometra vtitur: dum a cauſa omnium prima orſus, per omnes intermedias cauſas reuertitur: donec ad quæſtioné primam, ac propriam quę loco omnium primo, propoſita fuerit, regrediatur:

Has

Hæ duæ methodi ab Ariſtotele vſurpantur libro ſeptimo diuinorum, particula vigeſimatertia: quo in loco quomodo, amiſſa ſanitas inſtauretur, ab Ariſtotele demonſtratur: ita Medico ratiocinante: Sanitas eſt æqualitas calidorum & frigidorum: operepræcium eſt igitur, factam inæqualitatem, ad æqualitatem redigere: ſi futura eſt æqualitas, oportet, vt exploſa frigiditate redundante, caliditas, in illius locum, ſufficiatur: ſi caliditatem ſuffectam eſſe conuenit, qui mala valetudine laborat, frictione indiget. In hoc ordine Medicus ſanitatem, loco omnium primo, mente concipit: eſt enim ſanitas finis, gratia cuius aſſequendi, Medicus medicinam facit: ſecundo æqualitatem intelligit. Tertio caliditatem conſiderat. Quarto, & vltimo loco de frictione cogitat: quæ tamen in opere primas tenet. Primo enim frictio caliditatem, & caliditas æqualitatem, & æqualitas ſanitatem cōciliat: ideo optime dictum eſt: Principium actionis eſt finis cognitionis, & inuerſo ordine, principium cognitionis, eſt finis actionis, vt ex Ariſtotele colligitur: libro ſecundo de phyſico auditu particula ottuageſima nona, & libro ſeptimo diuinorum particula vigeſimatertia: & libro tertio ethicorum capite tertio.

Ex his omnibus locis ſatis ſuperque manifeſtum eſt, finem in nullam quæſtionem vocari, ſed ea, quæ ad finem pertinent. Ne-

que enim, aut medicus, an curet, sanitatiue ægrotantem restituat, in disquisitionem vocat: aut orator, an persuadeat: vel ciuilis iuris peritus, an bonas leges condat: sed ij, alijque omnes, finem sibi ipsis proponunt; & media, quibus finem propositum, assequantur, inquirunt: ita, vt quod in retexendo postremum est, id primum sit in agendo: nec tantum media quæruntur, sed mediorum etiam vsus. Nusquam igitur cadet in quæstionem finis, sed ea dumtaxat, quæ ad fines pertinent, atque cõducunt: ex quibus duo inuersi ordines nascuntur: ideſt analysis, ac synthesis.

Ex his etiam sequitur analysim, & synthesim, reipsa, & actu vnum atque idem esse, sola que ratione differre: sicuti re ipsa, & actu, eadem est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas: iste duæ viæ, quanquam sola ratione differunt, multum tamen intereſt, quorsum progrediare: ne si Athenas cogitaueris, & Athenis discesseris, non Athenas, sed Thebas petieris: ita non parum intererit: si analysim, vel synthesim tenueris: intus, & incute, vtraque agnoscenda, & ad vnguem seruanda, ac omni ex parte tenenda est via: ne si aut in principio, aut in medio deliqueris, aut ad dextram, aut ad sinistram deflexeris, a fine, & ab omni agnoscenda veritate deflexisse videare in grauissimosque errores prolabaris. Ex his, satis constat, quid Ari-

Ariſtoteles, de iſtis duobus methodorum generibus ſenſerit:

De diæreſi ab Ariſtotele, in analyticis prioribus, & poſterioribus verba fiunt: & libro primo de partibus animalium capite ſecundo, & tertio, & quarto: ſed non ſine infamiæ nota: vt infra, & ſi non omni, aliqua ſaltem ex parte, videbitur: id omnino diſputandum non eſt, ne ab ea breuitate diſcedamus: quam nobis ipſis propoſueramus,

De methodorum vſu. *Cap.* *XV*,

ABſolutis quatuor illis quæſtionibus, quas ab initio abſoluendas propoſuimus; quintam ad exitum perducendam aggredior qua methodorum vſus manifeſtabitur,

In rebus ergo inueniendis, Analyſi cum Ariſtotele, ſemper, & vbiquæ vtimur: hac Methodo, finis in nullam quæſtionem accerſitur: verum ſemper, & vbique ponitur, & in illa media, quæ ad finem poſitum pertinent, retexitur; donec inueniendo, ad partes minimas ventum fuerit: quod Ariſtoteles nunquam non præſtitit: ſint nobis, exempli loco, libri priorum, & poſteriorum, de Analytica reſolutione inſcripti: In prioribus ratiocinationem in propoſitiones, & illas in attributum, & ſubiectum, per Ana-

lysim dissoluit Aristoteles; idē prestat; dum ratiocinationes easdem, in suas figuras, iterū retexit. In posterioribus, demonstrationes retexuntur, in principia; quę sunt causæ, omnium primæ, veræ, notiores, ac priores conclusionibus: quę principia, vel omni medio carent, vel tantisper dum, per alias demonstrationes, ita demonstrentur, vt iterum demonstrari nequeant. His exemplis intelligitur, sine Analysi ab Aristotele, nihil vnquam fuisse inuentum, nihilque, a nobis sine illa inueniri debere.

In disputandis rebus, per Analysim inuentis, sinthesis est tam vtilis, quam necessaria, hanc Aristoteles mordicus tenet. In naturæ philosophia scribenda, de corporum natura cōstantium principijs, per Analisym, vltimo loco inuentis, primo omnium loco, disputandum proponitur, ac disputatur: mox de maximis eorundem corporum, quæ natura constant, partibus differitur; vt sunt Cælum, & quatuor elementa, quæ deinceps consequuntur; deinde ad illa, quæ ex elemētorum dispari temperatione gignuntur: a quibus ad animata, tandem ad cætera, quæ natura non tantum fiunt, sed etiam constant corpora cognoscenda, tanquam ad finem vltimum Aristoteles, per Synthesim ducitur. Dum ista duo Methodorum genera tenentur multa (quod supra memoratum fuit) obscura occurrunt; quorum vires,

&

& naturæ abditæ latitant, tunc definitionis vſus ſuppetit: quo res illæ obſcuræ definiendo, explicētur: quod Ariſtotelem nunquam non pręſtitiſſe animaduertimus;& quoniam docere voluit: & hæc Methodorum genera, in loco adhibita, perfecte docent, ordines iſti ab Ariſtotele ſemper cuſtodiuntur;& ab alijs, qui docere auent, ſeruandi præſcribuntur. Plato, & alij veterrimi Philoſophiæ patres, a quibus primi veritatis indagandę fontes aperti non fuerunt; eam opinionem tenuerunt omnes, ſed vnus Plato primo, & potiſsimum, vt magnum, immo dubio procul, maximum, ſe facinus admittere putarint, ſi naturæ arcana, in vulgus temere enunciaſſent; itaque omnes, ſed vnus Plato maxime, diuiſione vtebantur: in qua alterum membrum ſemper eſt falſum: in falſo membro explanando ab illis eloquentiæ vela pandebantur, verum diuiſionis membrum, vix attingebatur: hinc fiebat, vt non niſi, a bene doctis, ac bene oculatis Philoſophis, conſpiceretur.

Diæreſis, Methodorum omnium imperfectiſsima ab Ariſtotele creditur, vt quæ nec demoſtret; necprobet quidem; nec eā concludat, quæ concludenda forent; ſed alia, & longe diuerſa; non ex proprijs, ſed ex comunibus tantum procedat; id etiam petat, quod erat ab initio; non omnia inuoluta problemata; ſed vnum tantum euoluat; il-

lud inquam, quod ad inueniendas differentias pertinet; quod definitionis problema nuncupatur; problemata generis, & proprij, & accidentis, hac Diæresis Methodo ne attinguntur quidem; ea tantum, & frigidè probet; quæ omni ex parte non latent, & quæ ex sola vocum explanatione, minimè cognoscuntur; sed medio modo occultantur; propterea leuem, frigidamque probationem postulant: quæ omnia libro primo priorum analiticorum sectione secunda, capite tertio, & in vestibulo libri secundi posteriorum, particula (nimirum) sexta, ab Aristotele disputantur; libro autem primo de partibus animalium, capite secundo, & tertio, & quarto, contra hanc Diæresim, alia grauiora absurda, & quæ fieri nequeunt, argumentorum magna instructa falange scribuntur; quæ falsa, & absurda, & quæ fieri nequeunt, ex sola diuisione extra locum vsurpata, necessario nascuntur. Nec propterea est, a Methodorum generibus explodenda; vt suo loco monstrabitur. Diuinus Plato; qui (vt supra memoratum fuit) non docuit, sed pleraque leui argumentatione confirmauit, diuidendi artem, & ipse plurimi fecit, & tantis laudibus extulit, quantis, plurimi facienda, efferri debent; illamque ad suum vsum fere semper adhibuit. In ciuili, ex quibusdam animalium diuisionibus, Regis definitionem colligit,

git;in eodem, ex quadam artium diuisione, textoriæ artis definitionem venatur: in Sophista, ex diuisione artis sophisticæ, Sophistæ definitionem haurit; ex his, & ex alijs compluribus Diuini Platonis locis, in Philebo, & in Phædro præsertim, manifestum est Diuinum Platonem diuisionis Methodum, præ cæteris Methodorum generibus amauisse; quæ tamen ab Aristotele acerrime exagitantur; in locis, qui paulo ante adducti fuerunt; Galenus Platonem secutus, alia, quam diuisionis Methodo, per raro vtitur, quia nostri instituti non est, exponere, quid alij, vel bene, vel male fecerint, sed quid Aristoteles, docuerit, ac seruauerit, missos alios omnes faciamus, & ad nostrum Aristotelem reuertamur; contra quem, multa, eademque non leuis momenti, afferri possunt.

Contra ea, quæ ab Aristotele scripta fuerunt, grauissimæ quæstiones mouentur. Cap. XVI.

HAbent autem quæstiones non leues, quæ ab Aristotele scribuntur, libro primo de partibus animalium, capite secundo; quod supra aliqua ex parte actigimus; etenim contra Platonem Aristoteles dicit; Sectionem generis; a differentijs factam, esse ex parte non facilem, & ex parte nulla prorsus ratione posse absolui; non facilem

quidem, quoniam in longum nimis partitio producitur, ex parte, nullo modo fieri posse; quia omnes, qui diuidunt, & sectionem, per multa membra colligunt, illam, ad duo membra, redigere coguntur; quod non nisi, per priuationes præstatur, vt est ille, qui animal diuidit, in id, quod habet pedes, & in id, quod pedibus caret, & quod pedes habet, aut præditum est pennis, aut testa, aut squammis, aut cartilagine, aut tenui cute; hæc & alia, si qua sunt, complura animal diuidentia membra, ad duo tantum, si redigenda sunt omnia, vt cuilibet in dialecticis vel parum etiam exercitato, in promptu est, illa necessario redigi debere, non nisi per priuationes redigentur ab eo, qui dixerit. Animalium, aliud pedes habet, aliud pedibus caret; carere pedibus, nihil est aliud, quam priuari pedibus; ergo hæc diuisio, ad duo membra redacta, per priuationem absoluitur, at priuatio nullam speciem constituit; nullæque sunt, in priuationibus differentiæ. Hæc & alia multa absurda ex Diæresi, ab Aristotele colliguntur, contra Platonem, non solum, in his, quæ de partibus animalium, sed etiam, in Analyticis prioribus, ac posterioribus.

Ad hæc, si Diæresis nulla ratione potest absolui; nec est facilis, nec difficilis; nam facile illud fit, quod sine labore fit; & difficile illud fit, quod cum labore fit; ergo, quæ

cum labore, ideſt difficile, & quæ ſine labore, ideſt facile fiunt; vtique fiunt; ergo inter ea, quæ fieri nequeunt, Diæreſis perperam ab Ariſtotele refertur; ſi etiam fieri nequit Diæreſis, ei inter Methodos nihil loci derelinquitur; nec firma, nec infirma ratio nuncupari poteſt; verum ab Ariſtotele, in Analyticis prioribus Diæreſi poſtremus & minimus atque infirmus locus aſcribitur.

Amplius Ariſtoteles Diæreſi non raro vtitur; vt primo de phyſico auditu particula ſexta, & ſecundo eiuſdem libri, particula prima, & alibi, hæc Diæreſis Methodus paſsim vſurpatur; ergo Diæreſis aut inter Methodos referenda non eſt, aut ſi inter methodos referatur, falſum eſt illam fieri non poſſe; quomodo ergo effugiet Ariſtoteles, quin repræhendatur, cum ſit, in his, anguſtijs conſtitutus?

Exitus ſuperiorum argumentorum explicatur. Cap. XVII.

VT rei veritas, omnibus manifeſtetur; dabo operam, vt ſiquid inter Ariſtotelem, atque Platonem hiſce de rebus interſit, notum fiat; & primo.

Nec Plato nec Ariſtoteles vnquam dixerunt, generis diuiſionem fieri non poſſe, niſi, aut per duas differentias, aut per plures quæ ad duas redigerentur. Sed Plato rebatur,

tur, a supræmo genere, ad vltimam vsque speciem, quanlibet diuisionem, per differentias duas tantum, & non per plures duabus fieri semper, tantisper dum, vltima differentia inuenta, esset ex ea cum genere coniuncta, speciei definitio constitueretur; ad diuidendum ergo ac definiendum, hec dipartita diuisio necessaria est, quod etiam Porphyrius in suis institutionibus Platoni ascripsit. Hac in re Plato, ab Aristotele carpitur, & primo.

Quia licet, per hanc diuisionem bipartitam, vltima differentia, non raró, inueniatur, omnes tamen vltimæ differentiæ, ex quibus species conflantur, & per quas definiendo explicantur, minime reperiuntur; cum non vna sola differentia, vnam speciem, semper, & constituat, & constitutam definitionem manifestet.

Secundo quia, in hac vastissima rerum vniuersitate, species nó paucę inueniuntur; quarum vna tantum est differentia; ex qua sola, cum suo genere coniuncta, absque aliqua generis diuisione, species cohalescit, ac definitur; vt colligitur etiam ex his, quæ ab Aristotele memorantur, libro septimo diuinorum, particula quadragesima tertia.

Tertio; quia si multa sint paria oppositarum diuidentium differentiarum, membra quibus genus diuidere oporteat, quarum differen-

differentiarum neutra, sub neutra consistat, sed omnes genus æquali ratione diuidant, ex illis, quarum nulla sub nulla; ordine nullo distribuatur; & non ex illis, quæ ordine distribuuntur quæ nullæ sunt; definire opus erit. Exemplum ab animali petendum. Si animal, per habere pedes, & pedes nõ habere; & iterum, per obductum esse, & ob ductum non esse pennis, & tertio, per album & nigrum, sectum fuerit, erunt animalis tres primę, atque immediatę, ac bipartitæ diuisiones, quarum nulla, aut cõtinet aut continetur: si ex istis tribus paribus, trium diuisionum parium, Cygni definitionem colligere cõueniat sub quod trium diuisionum membrum Cygnus cadat, expendere decet: & quoniam animalis habentis pedes complexu Cygnus cohercetur, animal pedibus præditum erit Cygnus, & quoniam inuentus est, sub eo animali, quod pennis tegitur: Cygnus erit animal, pedibus prēditũ, & pennis tectum: & quia minime nigro, sed albo colore tingitur, Cygnus erit animal pedibus prædictum, & pennis tectum, & album; quæ expleta erit Cygni definitio. Quanquam ergo bipartita diuisio, ad vltimam differentiam inueniendam, aliquando ducit, ad illam tamen inueniendam semper non sufficit: tunc ad alias differentias æque primas, & immediatas diuertere cogimur, & ex illis, nullo prioris, & posterioris

ris ordine distributis, definitiones conflares quod cum Platonem lateret, dignus fuit, qui ab Aristotele carperetur.

Quarto, & vltimo, ab Aristotele Plato repræhenditur: quod ad vltimam differentiam inueniendam, hæc ordine distributa diuisio illarum differentiarum, quarum alia, post aliam, ordine ducitur, nec semper, nec vbique locum habet: nec illum habere potest, quippe diuidendo, ad vltimam vsque differentiam descendere semper non possumus, tunc si id tentauerimus, erit inanis omnis noster labor, stultunque omne nostrum studium: Atqui nemo quicquam facere conatur, qui ad finem non sit peruenturus: libro secundo diuinorum particula octaua: quod cum Plato ignorasset, mirandum non fuit, si ab Aristotele repræhenderetur.

Hæc quanquam sufficere possent, vt tamen veritatis splendor maxime illustretur, pauca addentur.

Animaduertendum est igitur. In omnibus disputationibus, limatum, accuratumque differendi genus, similiter requirēdum non esse; primo ethicorum capite tertio, & secundo diuinorum, particula decimaquinta, & decima sexta, sed pro vt rei cognoscendæ natura postulat: quæ autem cognosci debent, in tria potissimum genera distracta sunt omnia Nonnulla, (quod paulo ante dictum

dictum fuit) ex sola vocum explanatione cognoscuntur: vt sunt prima demonstrationum principia. Non nulla contra, vsque eo sunt abdita, vt nisi demonstratione concludantur, minimè intelliguntur: tertium genus intermedium, & quasi temperatum, est earum rerum, quarum veritas agnoscenda obscurior est, quam vt ex sola vocum aperta cognitione, compræhendatur, & notior, quam vt demonstrationem postulet: Hæc aut diuisione, quæ leuis, & infirma, probatio ab Aristotele creditur, libro primo priorum, sectione secunda, capite tertio, aut exemplo, aut inductione: quæ omnes frigidæ sunt probationes, declarantur, potius, quam probentur: non enim quæ sunt eiusmodi, probationes, sed manifestationes dici debent.

His animaduersionibus constitutis, capite proxime præcedenti, propositæ quæstiones soluuntur: propterea dicitur: Aristotelem sibi ipsi minime aduersari, cum sub diuersis rationibus loquatur.

Diæresis non demonstrat, sed ita frigide probat, vt illius probatio declaratio potius quam probatio nuncupanda sit: quæ tunc vsurpatur, cum efficaciorem argumentationem minime quærimus, quædam vltimæ differentiæ generis diuisione, vel etiam repetita, quantumuis longa repetatur inueniri tamen non possunt: nec semper, per op-

positas

positas differentias genus secatur: sed aliquando accidit, vt vna species, ab vna tantum differentia constituatur: genus tunc, per duas differentias, quæ nusquam sunt, sectum non est; omnis quin etiam partitio, licet per duo membra fiat; vna tamen bipartita primi generis diuidendi, ad infimam vsque speciem sectio aliquando non sufficit; eam ob rem vtilis est hæc diuisio ad non nullas differentias inueniendas, sed non ad omnes. Si ergo hæc Diæresis in loco, & in tempore vsurpetur: quod ab Aristotele nunquam non fit, non nullam, leuem tamen vtilitatem afferet: extra locum, & extra tempus vsurpata illa omnia incomoda, & absurda secum portat, quæ locis supra numeratis ab Aristotele scribuntur: propter has causas, inter Methodos omni ex parte perfectas ab Aristotele non refertur: sed inter frigidas probationes, & locus illi omnium postremus ac minimus inter Methodos, relinquitur: nec dignus est Aristoteles, qui logicam Virginem formosam, in hanc splendidissimam ac felicissimam lucem, edidit, qui repræhendatur: pro eo, quod truncatum, ac mutilum monstrum pepererit: sed dignissimus est, qui supræmis laudibus extollatur: quia logica nihil imminutum, nihilque redundans, nihil non suo in loco positum, contineat.

His omnibus rationibus locorum Atistotelis

telis apparens repugnantia tollitur: & argu mentationes infirmantur Momorum illorum, qui in eleganti, & venusto Logicæ cor pore crederent; aliquid inuenire se posse, quod iuste morderent: Immo si ab Aristote le, nihil aliud vnquam scriptum fuisset, quam id solum, quod ad logicam pertineat, optimo iure maximus dici & ab omnibus credi & pro maximo haberi, & celebrari deberet.

Vtrum hæc tria Methodorum genera, ab Aristotele semper, & vbique seruentur. Cap. XVIII.

SExta quæstio nos vocat: quæ est: Vtrum hæc tria Metodorum genera, ab Aristote le, omnibus locis seruentur. Cuius quæstio nis exitus paucis explicabitur: tum quia su pra, magna, immo dubio procul, maxima ex parte explicatus fuit, tum etiam quia, omnia, quæ rationibus, a rei natura petitis, superius confirmata fuerunt, exemplis, sub sensum cadentibus, ita confirmabuntur, vt nullus dubitationi locus relinquatur. Repe tamus igitur, quod supra dicebatur, inuenire Analysi, scribere Synthesi, & definire Diæresi opus esse, & istas tres Methodos ita coniungi, vt nusquam distrahantur, nisi do cendi, aut addiscendi facilitas, ordinem inuertere cogat: vt idem Aristoteles scribit in

vestibulo

vestibulo libri quinti diuinorum, particula nimirum prima. Doctrinæ principium, (inquit Aristoteles) non est semper primum rei principium, sed inde ordiendum est aliquando, vnde quisque facillime discat, sine hac facilitatis, doctrinæ, causa, ordines isti ab Aristotele nunquam inuertuntur: sed, vt supra statutum est, semper, & vbique seruantur; quod mox manifestabitur.

De Aristotelea Methodo in parte *Cap. XVIIII.*

ABsoluta Methodi vniuersa disputatione, eiusdem Methodi, atque ordinis ratio postulat, vt ad ea disputanda veniatur, quæ sunt minus vniuersa: hæc ab Aristotele singularia, non raro vocantur: Aristoteles ergo, ab vniuersis principijs, per omnia media, duce synthesi, ad finem, vltimo loco, assequendum, qui Analysi primo omnium loco, inuentus fuerat, peruenire constituit. Hanc Aristotelis artem, vt facilius agnoscamus, exemplum, ab ea Philosophia, quæ de natura dicitur, petendum esse censeo: in qua, a nobis rerum disputandarum scopus, cum Aristotele, Corpus naturale constituitur: in hunc Scopum, tanquam in finem assequendum, omnes Aristotelis nerui intenduntur. Secundo confirmanda princeps propo-

propoſitio,ad quam omnes aliæ minus prin cipes propoſitiones, vel mediate,vel immediate rediguntur,ab eodem Ariſtotele ſcribitur. Tertio argumentationem primam, qua princeps propoſitio,primo loco ſcripta confirmetur, idem Ariſtoteles ſcribere con ſueuit;gratia huius principis argumentatio nis, omnes aliæ ratiocinationes, in vnum, quaſi corpus, politiſsima arte confectum, conueniunt. Hæc tantum tria, & ſingulæ iſtorum trium partes, nec plura, nec paucio ra, in Philoſophia naturæ vniuerſa diſputan tur: in quibus præſtandis, omnes Methodi partes ad vnguem ſeruantur. Partes iſtæ Methodorum, vt ſine Methodo ab Ariſtotele non docentur, ita non niſi efficacitate Methodi, ex Ariſtotele eruuntur, & illi ſoli: qui hanc Ariſtoteleam Methodum didicerunt, Methodum hanc in Ariſtotele vident: & illam ex abditiſsimis Ariſtotelis cu niculis, reconditiſsimiſque illius penetralibus hauriunt: ab illis, a quibus hæc Ariſto telis Methodus ignoratur, aut agnita negli gitur,hæc quæ nunc dicta fuerunt, animaduerti nequeunt; propterea hæc Methodus plurimi facienda, nihili fit ab illis: Galiinaceus pullus: qui vilia ſemina quærit: ſi prætioſam margaritam inuenerit, eandem intactam derelinquet; ideo ditior non fiet, quam prius extiterit: quia maximam margaritæ dignitatem agnitam non habet. Ita

huius Peripateticæ Methodi contemptores in ea maxima rerum omnium ignoratione, in qua hactenus versati fuerunt, versabuntur semper, tantisper dum hanc Methodum didicerint.

De Methodo inueniendi primum scopum. Cap. XX.

INueniendi scopi Methodus ex Aristotele colligitur, libro primo posteriorum analyticorum particula quadragesima tertia: ille, cuius proprietates, & principia, & partes, & principiorum, & partium propriæ affectiones inuestigantur, est scopus. Ex quo loco, quatuor scopi conditiones nascuntur.
1 Prima, vt eius proprietates de illo demon-
2 strentur. Secunda, vt eiusdem principia
3 inueniantur. Tertia, vt eiusdem partes inue-
4 stigentur. Quarta, vt scopi de scopo, & principiorum de principijs, & partium de partibus, propriæ affetiones inuentæ, demonstratione concludantur.

Hanc inueniendi, siue scopi, siue subiecti, siue finis Methodum, traditam, & seruatam fuisse ab Aristotele, manifestum est etiam, in vestibulo primi, & tertij libri de cælo: vbi Aristoteles, perspicuum esse, inquit, eam scientiam, quæ de natura est, in exquirendis corporibus subiectis, ac alijs magnitudinibus: quæ magnitudines sunt subiectorum

corporum partes, & horum omnium affe-ctionibus, ac principijs, & proprietatibus, & motibus demonstrandis, motuumque vicissitudinibus rimandis, ac diligenter inquirendis, maxima ex parte versari; causa est: quia, quæ natura constant, partim subiecta corpora sunt: partim affectiones, principiaque, partesque corporum. Hæc consentanea sunt illis, quæ in principio libri primi de phisico auditu leguntur. Quæ habent (inquit Aristoteles,) causas, principia, vel elementa, non nisi ex horum cognitione cognoscuntur: at corpora natura constantia causas habent, principia, vel elementa: ergo non nisi, ex causarum, principiorum, vel elementorum cognitione cognoscentur. Corpus igitur naturale, naturalis Philosophiæ Scopus est: causa est; quia Corporis natura constantis, principia, & causæ, vel elementa, in libris, qui de natura inscribuntur, omni ex parte manifestantur: & libro duodecimo diuinorum, particula prima, iterum ait. De substantia quidem disputationem instituimus: mox causam reddit, ac dicit: siquidem substantiarum principia, & causæ, hoc libro queruntur: similia apud Aristotelem alibi plerunque leguntur: ex quibus scopi subiecti ac finis inueniendi, atque manifestandi, certa hæc Methodus oritur.

Methodus principis propositionis constanda.
Cap. XXI.

ADaperta Methodo inueniendi scopi, par est, vt principis inueniendæ propositionis Methodus tradatur: ea est: scopus " primo loco inuentus, semper futurum est " primæ propositionis, primo loco inuenien- " dę, ac disputandæ subiectum: eiusdem pri- " mę propositionis attributum, quod prædicatum à quibusdam nũcupatur, illud est quod de inuento scopo demonstratur. At quoniam ex Aristotele libro posteriorum primo, demonstrationes non sunt vnius gene- " ris, sed duorum; attributi inuentio, est tan- " to difficilior, quanto, duo, quam vnum, maiore, dubio procul, cum difficultate, inueniuntur: quę duo duplici demonstrationum generę, necessario inuenienda sunt maxime, Si à priori demonstretur, primæ propositionis atributum, primum inuenti scopi principium semper erit; at si demonstrator, à posteriori demonstrare maluerit, inuenti scopi, non primum principium, sed eiusdem prima proprietas, erit propositionis primæ attributum. Hæc omnia exemplis perspicuis aperientur: çum inueniendi medij primæ argumentationis Methodus manifestata fuerit.

Methodus

Methodus inueniendi medij, argumentationis illius qua prima inuenta propositio confirmanda confirmetur. Cap. XXII.

PAtefacta inuestigandæ primæ propositionis confirmandæ Methodo, necesse est, vt Methodus patefiat, primæ probationis inueniendæ, qua prima propositio confirmetur: hæc ex certa medij inuentione pendent: ex doctrina Aristotelis, in analyticis posterioribus. Si demonstratio est, à priori, demonstrationis medium est primum inuenti scopi principium. Verum si demonstrator, à posteriori demonstraturus sit, suæ demonstrationis medium prima erit, inuenti scopi proprietas. Aliquando contingit, vt posteriora, per alia posteriora, & priora, per alia priora probentur: tunc, & propositiones confirmandæ, & confirmandarum propositionum media mutabuntur. Qui hanc methodum assecuti minime fuerunt, id præstari non posse falso sunt rati: ideo in errorum deuia præcipites feruntur: vt illi: qui nulla nauigandi peritia præditi, fluctibus huc atque illhuc incerti feruntur, & naui ad saxum allisa in mari scopuloso iactantur: & quem in portum se recipiant prorsus ignorant, & spem & vitam amittunt: ita quibus nulla certa hæc constituta, definitaque est methodus, per minimæ portuosum scientiarum pelagus lati, nullius fiunt

compotes ſcientiæ: diu fruſtra ſe torquent, & inſcitiæ procellis, ac fluctibus obruti, periclitantur, hæc omnia hominis agnoſcendi exemplo, nunc manifeſtabuntur.

Exempla, ex quibus priorum omnium veritas agnoſcetur. Cap. XXIII.

TRaditis præceptionibus ad ſcopum inueniendum, & ad principem propoſitionem efformandam, & ad illam principi argumento confirmandam; pertinentibus quæ præceptiones obſcuriores ſunt, quam vt à Tironibus militibus nō dum an ſigna tris, non dum emeritis, nec dum rude donandis, intelligantur, faciam præcum opere, ſi hominis exemplo illuſtrentur omnia. Placuit autem ab homine potius, quàm ab alia quauis re, hoc exemplum petere: quod omnes ſupraſcriptæ præceptiones in vnum hominem promptiſsime cadant.

Si ergo mihi diſputandum ſit de homine: Vtrum homo ſit; & Vtrum ſit cognoſcendus, in diſquiſitionem accerſendum non erit: quippe hominis eſſe, illiuſque cognitio, vt mearum omnium diſputationum finis ponitur: qui vel etiam ipſomet Ariſtotele teſte libro tertio Ethicorum capite tertio, in conſultationem non cadit; ideo conſtituendus homo eſt, vt ille, inquem vnum, omnes cogitationum omnium mearum

nerui intendantur. Homo ergo, vt finis, vt ſcopus, vtque diſputationis futuræ ſubiectum ponitur, & quanquam inter hæc tria; ideſt, inter finem, & Scopum, & ſubiectum non nulla interſunt:perinde tamen ac ſi inter illa nihil intereſſet, in hac tota commentatione vuſurpâtur.Neceſſe eſt igitur ponere hominem eſſe: antea enim quam hominis eſſe detur,nihil eſt, quod vlterius poſſit quęri. Primum omnium,quod cogitationi, notitiæque noſtræ, de homine ſe ſe offerat, eſt hominis eſſe,hominiſque cuius eſſe poſitum fuerit,futura cognitio.Antea intelligẽda eſt etiam vis,atque ſignificatio vocis.Hęc, de re ſubiecta,antea cognoſcẽda eſſe,quam quicquam aliud cognoſcatur, præcipit Ariſtoteles libro primo poſteriorum analyticorum capite primo; Hominem igitur, eſſe, & cognoſcendum eſſe, & quid hominis vox ſignificet, antea intelligere opus eſt, quam ſtatutam diſceptationem ingrediamur: homo igitur,vt noſter finis: à nobis cognoſcendus conſtituitur.Hunc finem primo loco inuentum,ac poſitum,in ſuas partes magnas, Analytica Methodo diſſoluimus, Hæ hominis partes magnæ ſunt, Anima, & Corpus. Anima libro ſecundo de anima, particula vigeſima ſeptima, & alibi,in animam viuendi, ſentiendi, appetendi, loco mouendi, ac intelligendi,ab Ariſtotele diſſoluitur. Anima quæ viuendi eſt, in vim cibi capiendi,

augendi,& procreandi,retexitur: particula trigeſimaquarta eiuſdem libri ſecundi de anima. Anima ſentiendi, in omnes interiores, & exteriores ſenſus diducitur. Anima tandem intelligendi, in Intelligentiam facientem, atque patibilem diſſolui debet, cum Ariſtotele libro tertio de anima particula decimaſeptima, & decima octaua: Anima, in ſuas omnes partes diſtributa poſtquam fuerit, eadem Analytica Methodo corpus diſſoluetur: eo modo quo ab Ariſtotele diſſoluitur libro primo de hiſtoria animalium, & libro ſecundo de partibus animalium, vtrobique capite primo. Corpus itaque, in partes diſsimiles, vt ſunt manus, & caput, & cæteræ eiuſdem ordinis: hæ in conſimiles, vt ſunt carnes, & oſſa, & iſtæ in humores, & humores in elementa, & elementa in materiam, & formam, diſtribuenda ſunt omnia. Hæ quoniam partes ſunt hominis, vt Homo eſt, minimæ; in alias partes minores non diſſoluentur: Hæc quæ hactenus adinuenta fuerunt, ſunt hominis inſtrinſeca principia, quibus extrinſecæ adhibendæ ſunt cauſæ: vt efficiens commune, & proximum: vt Sol, & Homo, ex quibus homo gignitur. Adhibendus eſt etiam finis: qui eſt felicitas: de qua ab Ariſtotele abunde diſſeritur, in his, quæ de moribus ad Nicomachum.

Hominis principijs, per Analyſim, inuen-

tis, eiusdem hominis aliæ partes, quæ sunt, in cathegoria substantiæ, eadem sunt Analysi reperiendæ: & quanquam Homo postrema est species, & pars, sub qua nullæ aliæ, quæ sint veræ species, & partes inuenientur vnquam: sub homine tamen, modi quidam sunt specierum, & partium, in quas homo diuidetur, ac diducetur: Hominum ergo quidam sunt Itali: quidam Galli: quidam Hispani: quidam Græci, & quidam Latini, & cætera.

Nec sat est, hæc hominis principia, & has hominis partes, Analysi reperire, sed necesse est etiam, vt humanæ speciei proprietates, præsertim primæ, inueniantur: quæ sunt ad risum propensio, & disciplinæ capacitas & aliæ, si quæ sunt eiusdem classis: quibus inuentis, ad principiorum proprietates inueniendas ascendere opus est.

Animæ igitur altricis proprietates, tres, ab Aristotele scribuntur, libro secundo de anima particula trigesimaquatta: idest, nutrire, augere, & simile gignere.

Sensuum propriæ affectiones, sunt omnium sensuum proprietates: qui actus tum primi; tum secundi qui ad rei essentiam pertinent, vocantur, in vestibulo libri secundi de anima, & non raro alibi.

Proprietates animę intelligendi, quę vim habet, sunt Intelligere: Intelligentiæ agentis affectio propria est omnia facere: non in

genere

genere eorum, quæ ſunt: quod eſt proprium Dei, ſed in illorum genere, quæ ſub intelligentiam cadunt: quod eſt proprium hominis.

Intelligentiæ patibilis affectio propria eſt, in eodem genere, omnia fieri: de quibus Ariſtoteles erudite ſcripſit libro de anima tertio particula decimaſeptima & deinceps: quo etiam libro: proprietates animæ deſiderandi, & ex loco ad locum ciendi, copioſe, ac docte, ſcribuntur: quas nunc prætereo prudens, ne hæc diſputatio, in immenſum aucta creſcat: nunc ſat eſt methodum demonſtrare.

Nec tantum ſcopi, & principiorum proprias affectiones inuenire conuenit, ſed partium etiam. Ideo, quid Italorum, quid Gallorum, quid Hiſpanorum, quid Græcorum, quid Latinorum, & quid aliarum omnium humanæ ſpeciei partium proprium ſit reperire decet: quod eruditus, ac prudens diſputator efficiet.

In harum omnium rerum inuentione Analytica Methodus finitur: In illius locum Syntheſis ſufficitur: atque Diæreſis.

Quia tamen, inter diſputandum, ea quæ Analytica Methodo inuenta fuerunt, multa obſcura, & ad cognoſcendum difficilia, cadunt; quæ definitionem expectant, ſine qua minimæ cognoſcuntur: vt quid anima, & quid animæ ſingulæ partes, & quid corpus huma-

humanum sit: quid caro, quid neruus, quid elementum, quid materia prima, & quid forma; quarum omnium rerum definitiones, ex generibus, & differentijs constantur: differentiæ autem diuisionis Methodo inueniuntur: ideo ad scribendum de Homine, Synthesi non prius admouendæ sunt manus, quam hæc omnia Analysi inuenta, & Diæresi definiendo explanata fuerint: quibus omnibus hac arte comparatis, iam supra spem non est, de illis omnibus ex arte disputare.

Exempla magis contrahuntur. Cap. XXIIII.

REbus omnibus, quæ ad hominis agnoscendi absolutam cognitionem pertinere poterant, Analytica Methodo inuentis, iam tempus nos vocat, ad nostram de homine vniuersam disputationem absoluendam, Analytica Methodo ita inuersa, vt quæ vltimo omnium loco, Analysi inuenta fuerunt, Synthesi loco omnium primo vsurpentur.

Primo itaque, de materia & forma dispu- 1
tandum; mox de elementis: post de humo 2. 3
ribus: quarto, de partibus consimilibus: 4
quinto de illis, quæ dissimiles partes nuncu 5
pantur: demum de toto humano corpore: 6
de quibus omnibus, per illorum principia, omnes proprietates, à priori demonstrari debent.

De

De Anima etiam diſputationem inſtituere decet: & à definitione Diæreſi reperienda, proficiſci: quoniam anima eſt ad intelligendum difficilis, vel etiam ipſo Ariſtotele teſte libro primo de anima, particula quarta: mox ad animæ partes omnes limate agnoſcendas deſcendendum: de quibus, omnes proprietates ſunt demonſtrandæ: eadem diſputandi methodus, in omnibus humanæ ſpeciei partium modis eſt ad vnguem ſeruanda: quibus præſtitis, vniuerſa, quæ ad hóminem, numeris omnibus agnoſcendum, ſpectabant, ad vnum omnia, expleta fuerunt: ita vt, nihil redundans, nihilque imminutum, hæc diſputatio contineat:

De homine adhuc magis in parte diſputatur. Cap. XXV.

QVoniam ab ijs, quæ in vniuerſo genere verſantur, ad res minus vniuerſas progrediendum eſt, ex particula quarta libri primi de Phiſico auditu, & ex libro primo de partibus animalium, capite primo: & ex his, quæ non raro alibi ab Ariſtotele ſcribuntur; vniuerſa exempli ab homine petiti, tractatione abſoluta, par eſt, vt idem hominis exemplum, magis in parte diſcutiatur.

Ego igitur, de homine diſputaturus, hominem agnoſcendum, diſputationis meæ finem,

finem, ſcopum, & ſubiectum, mihi ipſi con ſtituo: quoniam hominis proprietates, principia, & partes, & principiorum, & partium propriæ affectiones inueſtigandæ proponuntur.

Scopo conſtituto, princeps propoſitio, in hac mea tractatione, principi loco confirmanda conſtitui debet: cuius ſubiectum eſt ſcopus conſtitutus: attributum vero, quod ab alijs, prædicatum appellatur, geminum eſſe poteſt: quippe duæ futuræ ſunt demonſtrationes: quarum altera, à priori, altera à poſteriori concludet. Si à priori demonſtrandum erit: attributum, quod de vniuerſo ſcopo demonſtrabitur, prima erit hominis proprietas: ea eſt, adriſum propenſio: ex quibus hæc integra propoſitio, à priori demonſtranda conficitur: Homo èſt ad riſum propenſus: capacitas etiam diſciplinæ, de eodem homine, à priori: demon ſtrari poterit: ideo, hæc alia propoſitio con flabitur: Homo eſt diſciplinæ capax: Multæ aliæ, huius claſsis propoſitiones, à priori demonſtrandæ, hac compoſitionis Methodo conſtruentur: inter quas vna eſt omnium prima, ad quam omnes aliȩ, vel mediate, vel immediate redigentur: vt Animal eſt ad riſum propenſum, vel diſciplinȩ capax: de Socrate etiam eædem proprietates demonſtrari poterunt: vt Socrates eſt ad riſum propenſus, vel diſciplinæ capax: ſed iſtæ duæ poſte-

posteriores, in quibus, de homine ad risum propenso, & disciplinæ capacitas, & prior in qua de animali hæc eadem probantur, ad vnam illam redigi debent; in qua hæc eadem de homine concluduntur: Posteriores etiam propositiones, per priores, a priori, & priores per posteriores, a posteriori, demonstrantur.

Si, a posteriori demonstrare in animo habuero; statutæ primæ propositionis attributum, cum statuto subiecto coniungendum, erit humanæ speciei primum principium: illud est, participatio rationis: ex qua, & ex homine, hæc prima propositio construetur. Homo est rationis particeps. Quoniam propositiones, a posteriori demonstrandæ, illis propositionibus seruiunt, quæ, a priori demonstrantur: hæc; Homo est rationis particeps, erit omnium prima: cuius aliæ erunt, veluti pedissequæ, & ancillæ;

Methodus demonstrandæ principis propositionis. Cap. XXVI.

NVNC inuentæ propositiones demonstrandę sunt: ad quarum demonstrationes construendas, demonstrationum inuenienda sunt media: prior a illa quidem, in demonstrationibus a priori, & posteriora, in demonstrationibus, a posteriori: Hu-

ius

ius propositionis: Homo est ad risum propensus, medium est participatio rationis: ex quo medio inuencto hæc a priori integra demonstratio conflabitur.

Omne particeps rationis est ad risum propensum.

Omnis homo est particeps rationis: ergo.

Omnis homo est ad risum propensus.

Alterius demonstrandæ propositionis, quæ est. Homo est rationis particeps: medium est, propria hominis affectio, participatione rationis posterior: quæ est: ad risum propensio: ex qua à posteriori, hæc tota demonstratio colligetur.

Omne propensum ad risum est rationis particeps.

Omnis homo est ad risum propensus: Ergo.

Omnis homo est, rationis particeps.

Eadem Methodo proprietas prior, per posteriorem, & posterior per priorem demonstrari poterit: quod paulo ante dicebatur: vt ad risum propensio, per disciplinæ capacitatem; & disciplinæ capacitas, per propensionem ad risum: quarum altera est, a priori, & altera est, a posteriori: vt propensio ad risum, per capacitatem disciplinæ, a posteriori, & capacitas disciplinæ, per propensionem ad risum, a priori demonstratur: Hæc est integra hominis disputatio: logica tamen: quod si illam pigmentis, fucisque

delinire,

delinire, tropis, & figuris, & Schematibus augere, & amplificare, voluerimus, logica hæc pura disputatio, in fucatam rethoricam disputationem, eadem ad vnguem seruata Methodo, migrabit.

Qui hac methodo mordicus custodita, de homine scribet, nihil redundans, nihilque alienum affinget: nihilque, aut vtile, aut necessarium relinquet: nihil quod ad rem non faciat, addere audebit: nec plura, nec pauciora, sed ea tantum disputabit, quæ disserenda erunt. Serpentes Auibus non geminabit, nec Tigribus Agnos: Delphinum Syluis non appinget, nec fluctibus Aprum; sed totum opus erit simplex & vnum.

Quomodo ex Aristotele proposita Methodus sit eruenda. Cap. XXVII.

VT hæc Methodus ex Aristotelis libris, in quibus abdita latitat, eruatur: cuilibet huius rei periculum facere cupienti, primum hoc, & præcipuum esse debet: vt Methodum quam eruere tentat, omnino cognitam habeat: quod si secus contigerit, per densissimas, obscurissimasque intempestæ noctis tenebras, incertus quid quærat, aut quo tendat, vagabitur; nec eruendam Methodum, eruet: at qui quid sit Methodus, quot, & quæ sint Methodorum genera, & quæ illarum sint vires, & naturæ, atque

que proprietates, & vſus, explorate teneat, ab eruenda Methodo non admodum aberit. Harum omnium rerum cognitionem, delineatam ſaltem, atque adumbratam, quæ tamen, ad id quod quæritur, inueniendum ſufficiet, hæc noſtra legens, aſſequetur.

Verum has præceptiones, & ab alijs audiuiſſe, ac legiſſe, & lectas, in teca memoriæ condidiſſe, ſat eſſe non credidero: ſed paratas, exercitatas, ante oculos poſitas, & veluti vtraque manu compræhenſas, tenere oportet. Sicuti enim, non poteſt celeriter, & in offenſo itinere currere, cui de ſingulis viæ angulis, inflexibus, diuerticulis, anfractibus, ac alijs ſexcentis eiuſdem viæ impedimẽtis, eſt in conſilium eundum: ſic neque parate, hanc ex Ariſtotele Methodum poterit eruere ille cui, cum eruenda eſt, prius ipſi quærendæ ſunt præceptiones, quibus eruenda Methodus agnoſcatur: & agnita teneatur; ita vt prompte, & expedite ad vſum conuertatur.

Hæc Methodus intus & incute cognita, & parata, non tantum plurimum confert, ad ipſam, apud Ariſtotelem agnoſcendam, & agnitam, ex Ariſtotele eruendam, ſed etiam ad intelligendas virtutes Ariſtotelis, illiuſque dictionis, & ad diſcernẽdas varias, apud Ariſtotelem argumentationes: eaſdemque ſuis proprijs formis, ac figuris reddendas; qua de re infra diſputabitur: Ariſtote-

les enim, quandoque, tanquam crebris, densisque ictibus, sic multis argumentis, in vnum conglobatis, nulla ratione extensis, petit aduersarios: quandoque multarum argumentationum pondus, argumenti vnius pondere, exequat: non raro confodit acumine: fulgura, fulmina, fulgetra, tonitrua, sed surda illa quidem, euomit ore rotundo: plerunque breuitati studet: tunc ab Aristotele, iunguntur conclusio, & propositio. Sæpe, pro vtrisque, sola propositio, aut sola conclusio scribitur: alibi nihil horum, sed sola istorum, aut omnium, aut aliquorum, probatio ponitur: idque ab Aristotele ideo factum puto, quo grauius, ex insidijs, incautum aduersarium feriat. Hoc mirabile Aristotelis artificium, ex hac nostra methodo cognoscetur.

Apud Aristotelem, hanc maxime necessariam Methodum agnoscere, hanc agnitam eruere, non est facile: immo illam, vel etiam longe, in Aristotele videre, & illam ex Aristotele foras ducere, non nisi assuetis, admodum longo vsu, longaque, ac diligenti lectione Aristotelis, & nostras hasce præceptiones ad manus habentibus, datum est: cæteris non item: illis, quibus Diuino munere præstitum fuerit, vt hæc in Aristotele videant, & hæc ex Aristotelis fontibus hauriant, sine labore, eodemque ingenti, non contigerit: supra spem tamen non est; hæc supe-

ſuperanda difficultas, ſi has præceptiones tenuerimus, & nos ipſos vt diximus, exercuerimus, idque non vulgari cum diligentia præſtiterimus. Nam rei cognitio, & conſuetudo, difficultatem omnem ſuperat, & facilitatem maximam parit. Hæc omnia, ſi vel etiam parum intermiſſa fuerint: difficultatem renouant, & laborem augent, & aſſequendæ rei, quam vtraque manu comprehendere deſideramus, facultatem, non tantum minuunt: ſed etiam funditus tollunt: Methodus enim, quam tradit Ariſtoteles, difficilis eſt, tum ob rei ipſius tectam intelligentiam, tum ob commentationis genus conciſum, & mirifice breui, ac perplexo, vtilitas tamen ex huius methodi explicata cognitione, quæ gignitur eſt longe maxima.

Propoſitæ Methodi exercitatio ex Ariſtotele. Cap. XXVIII.

IVdicium hac methodo comparatur: quo de noſtris, & de alienis ſcriptis, integre iudicamus: quod tunc manifeſtum fiet, cum nos ipſos, in illis omnibus concertationibus, quæ ab Ariſtotele exagitantur, hac noſtra Methodo duce, exercuerimus. Sunt enim illa omnia, quæ Ariſtoteles literis conſignauit, ſic rebus ipſis affixa, vt nulla violentia, quantumuis maxima, ab ipſis rebus,

posſint auelli: ab eiſdem rebus, nec noſtra hæc Ariſtotelea Methodus, vnquam ſeiungetur. Cum itaque hæc omnia, nexu arctiſſimo coniungantur, & vinculo indiſſolubili vinciantur, ad coniunctam horum omnium exercitationem aggrediar: poſtquam vnum tamen, lectores monuero.

Ariſtoteles, in cuiuſlibet diſputationis principio, ſcopum ſibi ipſi conſtituit: (vt ſupra memoratum fuit) & principem propoſitionem confirmandam ſcribit, eandemque argumentatione omnium prima, confirmat: quod hac præſenti exercitatione a rei natura petita, manifeſtabitur. Scopus ſupraſcripta Methodo inuenitur: Verbi gratia: Philoſophiæ, quæ de natura eſt, Corpus naturale eſt ſcopus: id hac vnica argumentatione, ad id comprobandum efficaciſsima conuincetur: poſtquam tamen animaduerterimus: quatuor inueniendi ſcopi conditiones ſupra conſtitutas fuiſſe: quæ nunc in hanc breuem ratiocinationem contrahentur omnes.

Cuius proprietates, principia, & partes, & principiorum, & partium proprietates, in Philoſophia naturali quæruntur, eſt naturalis Philoſophiæ ſcopus.

Corporis naturalis proprietates, principia, & partes, ac principiorum, & partium propriæ affectiones, in Philoſophia naturali quæruntur: Ergo,

Corpus

Corpus naturale, est naturalis, Philosophiæ scopus.

Huius argumentationis, maioris propositionis veritas, ex nostra hac suprascripta Methodo pendet, & propositio secunda, quæ minor nuncupatur, hac ratiocinatione probatur.

Prima corporis natura constantis proprietas est, mobilitas, ea præsertim, quæ est ad locum: quæ ex immediatis, ac proximis naturalis corporis principijs manat; vnde quarumlibet rerum natura constantium proprietates manare solent; ea de naturali corpore, per naturalis corporis principium, ab Aristotele demonstratur, particula quinta libri primi de cælo; idque totum consentaneum est illis, quæ paulo ante scripta fuerunt; dum diceretur. Aristotelis hanc esse consuetudinem, eandemque nunquam satis laudatam, vt in suarum disceptationum initijs, hæc omnia integre præstentur, & liber de Cælo primus est omnium particularium librorum Philosophiæ naturalis. (nam liber de phisico auditu, est veluti quoddam præludim; in quo omnium rerum natura constantium principia inuestigantur:) mirandum ergo non est: si in vestibulo libri primi de cælo, hæc omnia ab Aristotele posteritati traduntur. Demonstratio igitur; qua minor suprascriptæ argumentationis, propositio confirmetur, est hæc;

Omne illud corpus, cuius natura est principium motus est mobile.

Cuiuslibet naturalis corporis natura est principium motus Ergo.

Omne naturale corpus est mobile.

Hæc demonstratio est a priori, eruta, ex definitione naturæ, quæ ab Aristotele scribitur, in vestibulo libri secundi de phisico auditu; quippe, natura nihil aliud est, quam huius naturalis corporis motus principium. Prima ergo proprietas de corpore naturali demonstratur, quæ est prima scopi conditio. Post autem aliæ etiam, quæ illam sequuntur, proprietates, de eodem naturali corpore, suo loco, ac tempore demonstrabuntur: nunc hanc vnam attigisse sat est, ex qua intelligimus, in corpore, quod natura constat primam inesse subiecti conditionem.

Secunda conditio est, vt scopi principia inuestigentur; quod ab Aristotele præstitum fuit, libro primo de Phisico auditu: in quo, & numerus, & natura principiorum inuenitur: quæ tantum tria sunt; idest Materia, forma, & priuatio, de quibus proprietates eodem libro demonstrantur, particula quadragesima secunda, & sunt numero tres. Prima nō fieri ex alis, ne principiorum principia sint. Secunda eorundem proprietas est; non fieri ex alterutris; ne idem sit sui ipsius principium. Tertia est, ex illis omnia

fieri;

fieri: vt ex principijs nihil non generetur; omnium enim rerum naſcentium, ipſa ſunt principia. Ergo in corpore naturali hæc ſcopi ſecunda conditio inuenitur.

Tertia conditio eſt, vt corporis naturæ conſtantis partes agnoſcantur; quæ ſunt Cælum, & quatuor elementorum naturæ, quæ deinceps conſequuntur, & omnia miſta imperfecta, quæ, ex elementorum diſpari temperatione, oriuntur, & miſta perfecta, quæ anima vacant, & quæ ſunt anima prædita.

Quarta proprietas eſt, vt harum omnium naturalis corporis partium proprietates, ab Ariſtotele diſputentur; quod fit in illis omnibus libris, in quibus ſupraſcriptæ naturalis corporis partes in diſquiſitionem accerſitatæ fuerunt.

Naturalis ergo Philoſophiæ ſcopus eſt corpus naturale; quippe; corporis naturalis proprietates, principia, partes, & principiorum, & partium propriæ affectiones, in Philoſophia naturali diſputantur; in quibus diſſerendis compoſitionis ordo ſeruatur, & Methodus.

Primæ propoſitionis, & primi argumenti inuentio. Cap. XXVIIII.

INuento ſcopo princeps propoſitio confirmanda inueniri debet; cuius inueniendæ Methodus eſt hæc. Semper ſcopus inuen-

tis est primæ propositionis subiectum: attributum illud est: quod de inuento scopo demonstratur. De corpore, natura constanti supra demonstrata fuit mobilitas. Ergo mobilitas futura est attributum: ex qua, & corpore naturali princeps propositio conficitur: illa est. Corpus naturale est mobile: hanc in Philosophia naturali confirmandam Aristoteles sibi ipsi constituit, & demonstratione, ex particula quinta libri primi de cælo hausta, confirmauit. Hæc quoniam paulo ante explicata fuit: nunc intacta relinquatur: ne rem satis, superque factam, iterum facere videar.

Hæc tãtum tria, & singulæ istorum trium partes, nec plura, nec pauciora, in Philosophia naturali ab Aristotele disputantur: vt cuilibet, sigulas philosophiæ partes, inuestigare cupienti notum fiet. Hæc omnia ad Synthesim pertinent.

Hæc eadem Methodus, non tantum, in tota Philosophia naturali, sed etiam in singulis naturalis Philosophiæ voluminibus, & in singulis voluminum libris, & in omnibus vnius libri capitibus ab Aristotele ad vnguem seruatur: quod illi omnes intelligent, qui, hac Methodo duce, huius rei periculum facere tentauerint.

Sicuti Synthesi ad rerum inuentarum tractationem, ita Analysi ad rerum disputandarum inuentionem pertinet. Hac Analysi

naturalis Philosophiæ finis agnoscendus, qui est, non tantum corpus naturale, sed naturale corpus agnoscendum, loco omnium primo inuenitur. Naturale corpus in suas partes magnas dissoluitur: quæ sunt: aut principia, aut res, quæ fiunt ex principijs; de principijs, in illis libris disseritur, qui de Physico auditu inscribuntur; res ex principijs ortæ, sunt corpora: hæc aut simplicia sunt, aut ex simplicibus conflantur; simplicia, vel sunt omni ex parte æterna, vt sempiternum cælum: de quo in duobus primis libris de cælo: aut æterna sunt, secundum vniuersitates tantum, singulæ autem illorum partes oriuntur, & intereunt: vt elementa; de quibus, in duobus posterioribus libris de cælo. Hæc elementa, vel, vt partes mundi considerantur; quod fit, in duobus libris de cælo posterioribus; vt nunc dictum est, vel vt generantur, & intereunt, & causæ sunt, quam ob rem, alia omnia orta cadant, de quibus, in his, quæ de ortu, & interitu. Corpora, quæ ex simplicibus coagmentantur, vel sunt imperfecta; de quibus in libris metheorologicis, vel sunt perfecta; quæ & ista, in suas partes diducuntur: nam quædam perfecta corpora sunt, quæ anima carent; vt metalla; quorum disputatio, vel ad manus nostras non peruenit; vel temporum iniuria excidit: vel alio quouis malo fato perijt: in cuius locum, suffectus est liber:

qui de metallis, ab Alberto magno inscribitur: quædam perfecta corpora sunt animata; hæc vel qua viuimus, vel sentimus, vel intelligimus, vel ex loco ad locum ciemur, prædita sunt, anima; de primis, in his quæ de plantis: at quoniam hi Aristotelis libri, eadem vi, perierunt qua libros, de metallis, perijsse diximus, in illorum locum Theophrasti libri, de Plantis, suffecti fuerunt, de secundis, in his, quæ de animalibus: de tertijs, in his, quæ de anima, libro præsertim tertio: in quo de humana mente disputatur. His omnibus vniuersum Philosophiæ negocium absoluitur: vnde maxime liquet, naturalem philosophiam, in corporum natura constantium, & principiorum, & partium, & horum omnium proprietatum cognitione, & in subiecti inuentione, & in primæ propositionis, & primæ argumentationis constructione, illiusque probatione, totam, integramque versari.

Methodi exercitatio in libris de physico auditu. Cap. XXX.

HAEC Analytica Methodus, in inueniendis rebus, ab Aristotele disputatis, in libris, qui de Physico auditu inscribuntur, integra seruatur: quorum scopus est. Principium; hunc scopum Aristoteles sibi ipsi constituit, in ipsomet vestibulo libri primi

Phisico-

Physicorum; dum dixit. De principijs rerum omnium, quæ natura constant, esse primo loco disputandum; quoniam quæ prædita sunt principijs, vt sunt res, quæ natura fiunt, & constant, non nisi ex anticipata horum cognitione cognoscuntur; at quoniam principiorum nō sunt principia ideo sine principijs, quæ nusquam sunt, propterea sub nostram cognitionem minime cadunt, tota principiorum disceptatio absoluitur. Principiorum proprietates, & numerus, libro physicorum primo disputantur: & sunt, non produci ex alijs, nō ex alterutris, & ex illis omnia fieri. Principiorum partes tres sunt in numero idest Materia, & forma, & priuatio; quæ tria, cum illorum proprijs affectionibus, libro eodem exagitantur. Princeps propositio est. Principia sunt tria; ita vt ternarius numerus de illis probetur. Argumentatio, qua hæc constituta propositio confirmatur, libro primo de Pysico auditu sexta particula scribitur, & a diæresis methodo petitur; illa est Necesse est, vel vnum principium esse, vel multa. Si vnum, vel ab omni motu liberum, vel mobile. Si immobile, sententia est Parmenidis, & Melissi. Si mobile, aut aer est, aut aqua, aut aliud tale. Si multa sint rerum naturalium principia, aut certo numero comprehenduntur, aut immenso. Si finita sunt principia, certoque numero comprænsa, aut

 duo,

duo, aut tria, aut quatuor, aut alio certo numero coercentur. Iterum si infinita sint principia, aut eodem modo, quo Democritus asserebat; qui infinita ponebat corpuscula indiuidua, ita tamen, vt vnius essent generis, figura autem & specie differrent; vel sunt inter se contraria. Hæc est integra partium enumeratio, cuius omnia falsa membra euertuntur: idest: principium non est vnum neque mobile, neque immobile, neque finitum, neque infinitum: ergo multa sunt principia, non multa infinita, ergo multa finita, non duo, non quatuor, non aliquo alio certo, ac terminato numero: ergo principia sunt tantum tria. Hæc sunt, quæ cum omnibus coniunctis, & toto primo libro, & sequentibus, disputantur, & ea Methodo quæ Synthesis nominatur, & Analysi inuenta, ac Diæresi, obscuræ, siquæ inuentæ sunt partes definiendo explicatæ fuerunt.

Methodi exercitatio, ex capite primo libri primi Phisicorum. Cap. XXXI.

EAdem Metodus capite primo, libri primi physicorum, vt supra, seruatur. Cuius scopus est, principium; de quo disputandum esse probatur: ideo prima propositio erit.

De principijs est primo loco disputandum; quod argumentatione omnium prima confirmatur; illa est.

Quæ constant ex principijs, non nisi ex principiorum cognitione cognoscuntur.
Omnia corpora naturalia constant ex principijs: Ergo.
Omnia corpora naturalia non nisi ex principiorum cognitione cognoscentur.
Atqui corpora naturalia sunt cognoscenda: Ergo.
Corpora naturalia ex principijs primo loco cognitis, cognoscentur: Ergo.
Loco omnium primo, de principijs est disputandum.

Hac exercitatione quilibet, qui hanc nostram Peripateticam Methodum tenuerit Aristotelem ab ea, vel latum quidem vnguem, nunquam discessisse, intelliget: sed eam in tota philosophia, & in qualibet illius, siue magna, siue parua parte, integram semper seruauisse.

His exemplis apertissimis, ac certissimis, & qualibet meridiani Solis luce clarioribus omnia alia intelligẽtur, quæ ad has nostras Methodos pertinuerint: illa non hic, sed locis proprijs disputari debent.

Nouæ quæstionis exitus explicatur Cap. XXXII.

EX particula sexta libri primi de Physico auditu: quæ paulo ante, non leui cum diligentia, exagitata fuit, nemo colligere

ligere audeat, diuiſionis Methodum, ad demonſtrandum omni ex parte neceſſariam eſſe, quod Ariſtoteles ſcripſerit. Neceſſe eſt principium eſſe, aut vnum, aut multa; quoniam Ariſtoteles hanc neceſsitatem, non demonſtrationi, quæ in diuiſione nulla eſt, ſed diuiſioni aſcripſit: quę quoniam, per oppoſita membra fit, membrum alterum deberet eſſe verum, & alterum falſum; niſi huius diuiſionis neceſsitati Parmenides, & Meliſſus aduerſarentur: qui falſo ſunt rati, omnia eſſe vnum; idque nullo vnquam motu poſſe cieri; pro eo quod omnia erant vnum: & illud vnum nullo motu agitabatur; ambo iſti Philoſophi huius diuiſionis neceſsitatem deteſtari cogebantur; quod Ariſtoteles animaduertit; ideo particula octaua ſcripſit; quæſtionem, qua quæritur, ſit ne vnum omne, & id a motu omni liberum, non in natura verſari, ſed quæſtionis huius ſolutionem, vel ad aliam artem pertinere, vel ad eam, quæ eſt comunis omnium; quoniam, qui omne affirmat vnum eſſe, & immobile, principijs nullum locum relinquit; ex hac facta proteſtatione, quis non intelligit, frigidas eſſe Ariſtotelis, argumentationes, & comunes, & infirmas, & imperfectas, ex aliena ſcientia, in eum locum accerſitas? pro eo quod, hæc propoſitio. Principia ſunt tria, inter illas propoſitiones referenda eſt, quæ non omni, ſed aliqua

tantum

tantum ex parte latitant. Propositiones istæ medio modo abditæ, frigidas, atque infirmas probationes, aut, a diuisione, aut ab exemplo, aut ab inductione petitas, postulant; ideo Auerroes libro secundo de physico auditu, commentatione sexta, hæc ad verbum scripsit. Qui non potest, per suam naturam, distinguere, inter illud, quod est manifestum per se, & illud, quod est manifestum per aliud, nunquam potuit nec poterit philosophari. Hæc obiter nunc ad rem nostram reuertimur.

Methodus exuendæ illius virginis, quæ hactenus vestita fuit. Cap. XXXIII.

FOrmosissima illa virgo, de qua primo huius disputationis capite memoratum fuit, nuda, atque vestita, spectatoribus conspicienda proponi potest. Formosissimam illam virginem nudam vestire, fucis, pigmentisque delinire, aureos illius crines calamistris intorquere, auro prætiosisque lapidibus exornare, illi soli didicerunt, qui exornatam, atque vestitam, ornamentis vestibusque exuere intortos crines dirigere, medicamenta abluere, absque, aut ornamentorum, aut vestium, aut virginis detrimento, potuerunt: alij artis huius, expertes, dum virginem, aut vestiunt, atque ornant, aut vestitam, atque ornatam exuunt,

eandem, & vestes misere lacerant; ita qui scribunt, prius quam, ad scribendum manum ad moueant; hanc virginem, nudam illam quidem, mente concipere debent: idest res disputandas inuenire, ac totius disputationis membra ordine artificioso distribuere, probanda probare, & inprobanda improbare illos oportet; mox orationem vniuersam exornare, atque amplifica re, & a se, & ab alijs auctoribus exornatam, atque amplificatam omnibus ornamentis, amplificationibusque, spoliare, & suæ natiuæ formæ, siquid boni præstare cupiunt, restituere coguntur. Neque id sat esse credidero, sed virginem hanc eneruare, & exossare opus erit ei, qui valde auet omnia scire: quod qui, qua arte, quo ordine, & qua Methodo absoluatur nosse cupit, quæ sequantur attente legat.

Qua Methodo omnia, quæ ab Aristotele scribuntur, sint suæ formæ reddenda. Cap. XXXIIII.

DE quæstionum inuentione, a nobis nihil disputatum fuisse, ab re fortasse non fuit: propterea, quod, in Aristotelis scholis, in quibus versamur, disputandæ quæstiones, ita manifeste proponuntur, vt illæ, quæ sint, dubium esse non posit: ex positum enim, certumque est semper, de quo, apud Philosophos ambigitur; sed de statu quæstionis

ſtionis per ſæpe dubitatur. Status autem quæſtionis ille eſt: quo, vel poſito, vel confutato, de quæſtione pronunciatur; vt Vtrum omnis homo ſit rationis compos: hæc eſt quæſtio: in qua duæ propoſitiones abditæ latitant: altera eſt: Hominem eſſe rationis compotem: altera vero, Hominem non eſſe rationis compotem: pars poſterior veritati conſentanea videtur magis, propter pueros, vagientes in cunis, & faſcijs inuolutos; quos Ariſtoteles libro octauo de Hyſtoria animalium capite primo, teſtatur, non admodum differre a belluis, & propter Timonē prorſus inhumanum qui ſolius Alcibiadis adoleſcentis amator fuerat: propterea, quod ſciret, illum Athenienſibus multorum malorum cauſam futurū, & qui, cum ficum, in hortulo natam haberet, & illam eſcindere conſtitueret, omnes Athenienſes, in pubblica concione monuit, vt ſi quis vellet, ſe ſuſpenderet, prius, quam arbor excinderetur, & qui in ſepulcro, quod ad huc viuens ſibi poſuerat, epitaphium in hanc ſententiam exciderat. Hic ſum, poſt vitam miſerrimam, inopemque, ſepultus; nomen non quæras: Lector Dij te perdant, & propter Homericum Therſitem, Dijs hominibuſquę inuiſum: omnes iſti homines quidem ſunt & cōplures alij, illorum ſimiles, quos orbis vniuerſus habet prorſus inhumanos, ideo nullius rationis compotes: ex his propoſitę

quæstionis status elicitur: qui est. Vtrum propter nonnullos homines, quolibet trunco, & stipite duriores, & qualibet fera siluestri crudeliores, & propter pueros in cunis vagientes, & propter Timonem Atheniensem, & ptopter Homericum Thersitem, cuiuslibet rationis expertes, falsa sit, hæc quæstionis pars. Homo est rationis particeps. Hinc tota qүestio pendet. Hanc propositio nem, Homo est rationis particeps, si falsam esse negauerimus hac ratione quæstionis exitus explicabitur. Ex paucis illis hominibus supra enumeratis, homines omnes, rationis compotes nō esle, confici, nec debet, nec potest; quippe rationis participatio, nō ratiocinandi actum, sed solam, ad ratiocinadum, innatam propensionem significat: alioquin homines, dum dormiunt: aut dum aliud agunt, aut dum feriantur, & ocio torpent, homines non essent: qui tamen tunc homines sunt, & rationis compotes. Huius innatæ propensionis, humana species compos est tota, quanquam vnus, vel alter homo nulla vnquam ratione vtitur: omnes ergo homines, propter propensionem tantum ad rationem colendam, & non propter illius cultum, rationis compotes esse dicen dos ambigendum non est. Hac Methodo pars illa quæstionis, qua probata, quæstio soluitur, conclusio fit argumentationis, & quod ad probandum assumptum erit, ratio-

cina-

cinationis propositio fiet. Atque vt ad prima redeam: quæstio est: Vtrum omnis homo sit rationis particeps. Status quæstionis est. Propter paucos homines, qui nunquam ratione vtuntur, concludendum non esse; omnes homines esse rationis expertes, quæstionis solutio est: omnes homines esse rationis compotes.

Si plures erunt propositiones, expendendum, An altera per alterã probetur: ita vt se vltro, citroque vicissim consequantur: quod si contingat: sola erit vna argumentatio, ordine tamen probandi plures: idque notum fiet, si ad propositam propositionem reuertamur: ea est: Omnes homines sunt rationis compotes, & omnes homines sunt disciplinæ capaces. Ambæ propositiones, se vltro, citroque vicissim consequuntur, & altera, per alteram probatur: ex ambabus ergo, vna argumentatio, hac methodo conficietur.

Omnes disciplinæ capaces sunt rationis compotes.
Omnes homines sunt disciplinæ capaces,
Ergo.
Omnes homines sunt rationis compotes.

Reciprocantur hæc omnia, & altera propositio, per alteram probatur: idque hac argumentatione absoluitur.

Omnes rationis compotes sunt disciplinæ capaces.

Omnes homines ſunt rationis compotes:

Ergo.

Omnes homines ſunt diſciplinę capaces:

Hæc de altera propoſitę quæſtionis oppoſita parte: qua probata, (quod ad ſtatum quæſtionis pertinere diximus) tota quæſtio ſoluitur:& illius ſolutio infraſcripta Methodo confirmatur: qua primo ponitur: Homines non propter vſum rationis, ſed propter ſolam innatam propenſionem ad ratiocinandum, eſſe homines: quo poſito, ac dato, ſic argumentandum.

Omnes homines, ſunt rationis compotes.

Homericus Therſites, & Athenienſis Timon, & pueri vagientes in cunis & alij ſimiles ſunt homines Ergo Homericus Therſites, & Athenienſis Timon, & pueri vagientes in cunis,& alij ſimiles ſunt rationis compotes. Ergo ſicut iſti & alij omnes ſunt homines ita rationis compotes. Ergo omnes homines ſunt rationis compotes. Hoc totum quod erat probandum, hactenus probatum fuit, & prima, primo loco propoſita quæſtio, eſt ad exitum perducta: nunc ad alia progrediendum.

Si plures propoſitiones huius naturę ſint, vt altera per alteram nõ probetur: ſed vnaqueque id probet, quod quæritur: plures erunt argumentationes verbi gratia. Iſta propoſitio: Homo eſt animal: tribus propoſitionibus

animal

positionibus probari potest quarum nulla a nulla probatur: idque notum fiet ex Aristotele libro secundo de anima, particula trigesimaquarta: quarum trium propositionum prima erit.

Homo viuit. Secunda

Homo augetur. Tertia.

Homo generat:

Ex his tribus propositionibus tres distinctæ ratiocinationes conflantur: quibus eadem propositio confirmatur.

Prima ratiocinatio.

Omne quod viuit, est animatum.
Omnis homo viuit. Ergo.
Omnis homo est animatus.

Secunda ratiocinatio.

Omne, quod augetur est animatum.
Omnis homo augetur Ergo.
Omnis homo est animatus.

Tertia ratiocinatio;

Omne, quod generat est animatum:
Omnis homo generat. Ergo.
Omnis homo est animatus.

Hominem generare, non semper, sed statuto tempore intelligendum.

Si plures sint propositiones, quarum aliæ alias non probent, & nulla positam propositionem per se: vel erunt plures vnius argumentationis probationes vel plurium propositionum probationes:

Si plures sint vnius argumentationis

propositiones: duæ tantum poterunt esse: quarum altera maior, altera minor argumentationis propositio nuncupatur: nulla enim plures duabus capit propositiones ratiocinatio.

Non raro accidit, vt in enumeratione, plures duabus sint propositiones, omnes tamen coniunctę, vnius propositionis vim obtineant, vt si probandum mihi sit, omnem hominem esse substantiam; hac argumentandi formula vtar.

Omnis homo est animal.
Omne animal est corpus.
Omne corpus est substantia: Ergo.
Omnis homo est substantia.

Tres primæ propositiones, quanquam tres sunt, vnius tamen propositionis locum tenent.

Exemplum multarum propositionum diuersas propositiones probantium, ab eodem homine petii potest: vt.

Homo est viuens.
Homo est animal.
Homo est corpus.

Omnes istæ tres propositiones diuersæ sunt: & a diuersis propositionibus probatur: quæ semetipsas vicissim non probant: vt.

Omne, quod nutritur, augetur, & generat, viuit.
Omne, quod sentit, est animal.
Omne, quod omni ex parte diuiditur, est corpus.

Hæc

Hæc omnia hac Methodo suæ formæ reddentur.

Primo.

Omne, quod nutritur, augetur, & generat, est viuum.
Omnis homo nutritur, augetur, & generat: Ergo.
Omnis homo est viuus.

Secundo.

Omne quod sentit, est animal.
Omnis homo sentit, Ergo.
Omnis homo est animal.

Tertio.

Omne quod est omni ex parte diuiduum, est corpus.
Omnis homo est omni ex parte diuiduus Ergo.
Omnis homo est corpus.

Fateor ego hoc totum negocium esse tam difficile, quam difficillimum: ad leuandum tamen laborem, ad Aristotelem confugere oportet, libro primo de phisico auditu, particula secunda, dicentem. Via & ratio, quam tenere in sciencia tradenda debemus, ab illustrioribus, & notioribus nobis rebus progredi solet. In apertioribus ergo nos ipsos exercere debemus, vt consuetudine, & vsu reddendi suæ formæ, ea, quæ faciliota fuerint, difficiliora reddere discamus.

Exercitatio suprascriptæ Methodi, in his quæ ab Aristotele scribuntur, particula prima, libri primi de Physico auditu.

Cap. XXXV.

MEum consilium semper fuit, vt quibus fieri posset rationibus, illorum labor leuaretur: qui diurna, atque nocturna manu Aristotelis monimenta versant: quod quomodo diligens huius disputationis lector assequatur, tum ex his, quæ litteris hactenus consignata fuerunt, tum ex his, quæ, hoc capite, posteritati tradentur, paruo immo dubio procul nullo negocio intelligentur: vsu tamen, atque exercitatione adhibita diligenti. Nisi enim huius, nusquam satis laudatę artis, præcepta fuerint, longa consuetudine, longaque exercitatione firmata, omnis noster addiscendi labor, irritus erit, atque inanis. Nulla enim res efficacius recte facere docet, quam sæpe facere: quapropter hanc exercitationem, breuem, facilem, & optimam rerum omnium addiscendarum magistram, addendam duximus: ex particula prima libri primi de physico auditu, petitam. Ad ea enim præcepta, quæ supra sunt scripta, adiungendus est vsus frequens, qui omnium scripturarum, omniumque doctorum hominum præcepta superat. Dicit ergo Aristoteles.

Quoniam cognoſcere, ac ſcire contingit, circa omnes Methodos, quarum ſunt principia, aut cauſæ, aut elementa, ex horum cognitione. (Tunc enim putamus cognoſcere vnumquodque, cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima, & vſque ad elementa). Manifeſtum eſt, quod & ea, quæ ſunt circa principia ſcientiæ, quæ de natura eſt, primum determinare tentandum, &c.

In hac prima particula, quanquam multa ſunt inuoluta, non niſi tamen, tres euolutæ propoſitiones in ea leguntur: idque cuilibet rem penitius introſpicere cupienti, ſtatim notum fiet.

Prima propoſitio.

Quoniam cognoſcere, ac ſcire contingit, circa omnes Methodos, quarum ſunt principia, aut cauſæ, aut elementa, ex horum cognitione.

Secunda propoſitio.

Tunc enim putamus cognoſcere vnumquodque, cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima, & vſque ad elementa.

Tertia propoſitio.

Manifeſtum eſt, quod & ea, quæ ſunt circa principia ſcientiæ, quæ de natura eſt, primum determinare tentandum: &c.

Primum, quod diligens lector, addiſcendi cupidus, præſtare debet, eſt: noſtram hanc veſtitam atque ornatam, formoſiſsimam

ſsimam virginem, ornamentis, & veſtibus nudare deinde ab omnibus fucis, ac pigmentis, pictam huius Virginis faciem, totumque illius corpus, abluere: demum eandem exoſſare, atque eneruare: & omnia, quæ redundant, vſque ad viuum reſecare: ideſt: omnia, quæ ad amplificationem, & alia fucatæ orationis ornaměta pertinere valeant, a tribus ſupraſcriptis propoſitionibus, illa Methodo, qua adhibita fuerunt, artificioſe tollere, quod ſi fiat, tres ſupraſcripte propoſitiones, redundantibus vocibus ſpoliate, erunt infraſcriptæ.

Prima propoſitio.

Scientiæ, quarum ſunt principia, ex principiorum cognitione comparantur.

Secunda propoſitio.

Tunc ſcimus, cum principia cognoſcimus.

Tertia propoſitio.

A principijs eſt exordiendum.

Iſtarum trium nudarum propoſitionum, prima tertiæ propoſitionis veritatem aperit: & ſecunda primam confirmat: vt infra ſuo loco manifeſtabitur.

Iſtas tres propoſitiones, ſi natiuæ, ac propriæ formæ reddere velimus, ad tertiam quæ omnium veluti concluſio eſt, cognitionem noſtram omnem dirigere debemus, &

ſumma

ſumma cum animaduerſione ambas illius voces, ideſt : Subiectum, & attributum, ad quam ratiocinationum figuram pertineant, expendere, ſumma ope niti decet: propoſitio tertia eſt : A principijs eſt exordiendum.

Concluſio primæ figuræ, ex ſubiecto minoris, & ex attributo maioris propoſitionis conficitur : in concluſione, medio termino ſicut in prima, ita in alijs duabus poſterioribus figuris, nihil loci derelinquitur. Huius concluſionis ſubiectũ, eſt principium: quod, ratione diſpari, eſt primæ propoſitionis ſubiectum, & attributum: ſubiectum quidem, quatenus cum vniuerſa ſcientia coniungitur : attributum autem, vt ei ſcientiæ adheret, quæ ex principiorum cognitione comparatur : quo fit, vt quanquam eadem vox eſt, quia tamen; ſub diuerſis rationibus; expenditur, ex ea vna voce, duo ſignificante, duo termini conficiuntur : alter terminus, ſub iſtis vocibus concluditur. Scientiæ, quarum ſunt principia: alter vero terminus, harum omnium vocum complexu cohercetur. Ex principiorum cognitione comparantur, Hic terminus eſt ſecundæ propoſitionis attributum, & tertiæ ſubiectum. Eiuſdem tertiæ propoſitionis attributum eſt : Exordiendum: quæ vox in nulla trium propoſitionum inuenitur : Hæc igitur concluſio, ad primam figuram nulla ratione pertinet :

net. Nec ad ſecundam pertinere poterit: tum quia, in ſecunda figura, ex duabus propoſitionibus affirmantibus, nihil ſequitur: tum quia, ex ſubiecto minoris, & ex ſubiecto maioris propoſitionis, ſecundæ figuræ concluſio conflatur: quod nunc factum non eſt. Suſpicari forte poſſet quis, vniuerſam hanc ratiocinationem, ad tertiam figuram pertinere: at in tertia figura, ex duabus aientibus, iiſdenque vniuerſis, nulla concluſio vniuerſa colligitur: tum etiam quia ſubiectum concluſionis, non eſt attributum minoris, & eiuſdem concluſionis attributum, maioris propoſitionis attributum non eſt: tum etiam quia medius terminus, hic non aſpicitur, qui locum illum teneat: quẽ tum in hac tertia, tum in duabus alijs figuris, optimo iure, tenere debet. Non enim eſt ſubiectum minoris propoſitionis, & attributum maioris: quod eſt primæ figuræ proprium: nec eſt, vtriuſque propoſitionis attributum: quod in ſecunda figura fieri debet: nec in tertia eſt vtriuſque propoſitionis ſubiectum. Siquis igitur tres illas propoſitiones, in vnam effingendam ratiocinationem redigere conetur, omne oleum, & omnem operam perdet: non enim ſine ſuprascripta Methodo, quatuor termini, & tres propoſitiones, in ratiocinationem vnam conflandam conueniunt.

Verum quoniam multæ, ideſt tres, ſunt, iſtæ

iſtæ propoſitiones, & termini etiam ſunt quatuor; propter nuper enumeratas rationes, ad nullam vnam vnius ratiocinationis figuram redigendi, decet, vt periculum fiat, num ex illis multæ argumentationes confici poſsint: quæ vel eandem, vel diuerſam propoſitionem, quæ concluſio ſit, aut vnius, aut duarum argumentationum, cõfirment: nullam vnam eandem, vel diuerſam confirmare valent: quoniam multi medij termini, ijdemque ordine diſtributi ſint, opus eſt, ſine quorum, ordineque diſtributorũ, multitudine, multæ argumentationes eandem, vel diuerſam propoſitionem confirmãtes, non conſtruuntur: quod hic non contingit.

At quia ijdem ſunt omnium trium propoſitionum termini, ad eundem finem tendentes: quorum primus eſt. Scientia. Secundus. Principium: Tertius. Scientia naturalis. Quartus: Incipere: ex illis tres argumentationes conflabuntur: quarum altera, per alteram probabitur, & in quibus quatuor ſupraſcripti termini, ſuis proprijs in locis, artificioſa hac noſtra Peripatetica Methodo diſtribuendi ſunt omnes.

Littera ergo tripartito diuiditur. In prima parte probanda propoſitio ſcribitur, & eſt, prima trium ſupraſcriptarum propoſitionum, id eſt. Scientiæ, quarum ſunt principia, ex principiorum cognitione comparantur. In ſecunda litteræ parte, maior probatur:

batur, & eſt ſecunda ſuprafcripta propoſitio; id eſt: Tunc ſcimus, cum principia cognoſcimus: In tertia parte litteræ, eſt tertia trium ſupraſcriptarum propoſitionum: id eſt. A principijs eſt exordiendum: quæ eſt princeps concluſio.

Prima litteræ argumentatio, qua prima propoſitio probatur, ideſt ſcientia naturalis, naturalia dum contemplatur, ex cauſis prius cognitis, concluſiones ſuas retexit, hac Methodo concludit.

Omnia, quæ cauſas habent, ex cauſarum cognitione cognoſcuntur.
Omnia naturalia cauſas habent: Ergo.
Omnia naturalia ex cauſarum cognitione cognoſcentur.

Huius argumentationis, maior propoſitio, quæ prima eſt ſupraſcriptarum trium propoſitionum, entimemate probatur: cuius entimematis concluſio fiet. Eiuſdem entimematis antecendens, ex libro primo poſteriorum, in hunc locum transferri debet: hac duce Methodo: id eſt.

Tunc ſcimus, cum cauſas cognoſcimus: Ergo.

Omnis ſcientia ex cauſarum cognitione proficiſcitur.

Antecendens huius entimematis, eſt, ſecunda trium ſupraſcriptarum propoſitionum, & concluſio eſt illarum prima, & entimema partem litteræ ſecundam tenet.

Prioris argumentationis minor, cum ſua probatione, in littera abdita latitat: quæ ne irrita ſit, atque inanis, nonnullus illi dandus eſt locus, idque vt fiat, ſupraſcripta minor, hac Methodo probari poterit.

Omnia, quæ ex materia, & forma conflantur, cauſas habent &c.

Omnia copora naturalia ex materia, & forma conflantur: Ergo.

Omnia corpora naturalia cauſas habent &c.

Tertia litteræ ratiocinatio, quæ in eiuſdem tertia litteræ parte ſcribitur, eſt hæc.

Ab illis, quibus prius cognitis, cætera cognoſcuntur omnia, auſpicandum eſt diſputandi principium.

Cauſis prius cognitis cætera cognoſcuntur omnia: Ergo.

A cauſis auſpicãdum eſt diſputandi principium.

In littera huius argumentationis maior intacta derelinquitur. Eiuſdem minor eſt prima, & ſecunda trium ſopraſcriptarum propoſitionum. Eiuſdem argumentationis concluſio, eſt tertia omnium ſupraſcriptarum, & propoſitionum, & argumentationum, veluti princeps concluſio: quo ea, quæ in hoc loco hactenus ſcripta fuerunt, tendunt omnia.

In textu maior propoſitio, quæ eſt prima trium ſupraſcriptarum propoſitionum,

& entimematis conclusio, legitur, his verbis.

Quoniam intelligere, & scire contingit, circa omnes scientias, quarum sunt principia, vel causæ, vel elementa, ex horum cognitione.

Legitur etiam, apud Aristotelem, secũda trium suprascriptarum propositionum: quę est entimematis antecedens, dum dicitur.

Tunc enim opinamur cognoscere vnumquodque, cum causas primas cognoscimus, & principia prima, & vsque ad elementa.

Aristoteles demum, tertiam suprascriptarum triũ propositionum: quæ est vltima ratiocinationis conclusio, his verbis colligit.

Manifestum quidem, quod, quæ sunt, circa principia scientiæ, quæ de natura est, primo determinare tentandum.

In prima ergo parte litteræ maior propositio scribitur: in secunda, maioris probatio; in tertia princeps conclusio.

Quid voces ab Aristotele vsurpatæ significent, expendere, ad nostram hanc Methodum a rei natura petitam nõ pertinet: ideo hanc, explicandarum vocum prouinciam, ne attingimus quidem: ne ocio, & litteris abuti videamur.

Methodi exercitatio, in his, quæ ab Aristotele scribuntur libro octauo de physico auditu. *Cap. XXXVI.*

QVanquam quæstio de perpetua natura motus, in octauo libro Physicorum ab

ab Aristotele disputata, pro diuersa hominum sententia, de sempiterno primi motoris, & mobilis motu, deque motu communi vniuerse intelligitur, nihil tamen obstat, quo minus de motu primo primi mobilis, & motoris, hoc loco a nobis intelligatur: & quanquam, de scopo eiusdem octaui libri, pro diuersa ingeniorum ratione, diuersæ sunt Philosophorum opiniones, nihil tamen reluctante, primus motor, eiusdem libri scopus nunc, sicut etiam libri septimi constitui potest: quippe primi motoris principia, & partes, & horum omnium proprietates, eo libro in disquisitionem vocantur, atque inuestigantur: id antequam veritati consentaneum esse, manifestetur, animaduertendum ?

Demonstrationem, qua, libro septimo Physicorum, motoris primi vnitas ab Aristotele demonstratur, hoc ab ea demonstratione differre, quę, eorundem physicorum octauo libro, eadem vnitas, eiusdem primi motoris, confirmatur, quod, septimi libri motor primus, conflatus ex duabus est partibus (vt alibi disputauimus) quarum partium altera ea est, quæ, per se mouetur: vt primum cælum, altera, quæ per se mouet: vt primus motor: hoc totum ex vtrisquæ partibus concretum est primum; quia supra illud nihil est: qua ratione omnia priora excluduntur: & quia illud est supra omnia:

quo fit, vt paria tollantur; Concretum hoc illud etiam eſt, a quo cuncta, tanquam a cauſa vniuerſa quauis motus ſpecie cietur; hoc ergo, ex vtriſque partibus concretum, eſt primus motor. Hic primus motor, ex anima, & corpore conflatus, & libro phyſicorum ſeptimo inuentus, in ſuas partes, ideſt in animam, & corpus, octauo libro diſſolui tur. Demonſtratio ergo ſeptimi non altius attollitur, quam ad primum motorem animatum agnoſcendum: at demonſtratio octaui, vſque ad illius nuper inuenti primi motoris animam inueſtigandam erigitur: a qua anima motum omnem adminiſtrari conuenit.

Hac animaduerſione conſtituta, ad propoſitam exercitationem abſoluendam aggredior.

Primi motoris, in quas diſſoluitur, duæ ſunt partes, duoque principia, libro phyſicorum octauo inuenta: id eſt, anima; quæ, per ſe, & primo mouet, & corpus; quod ab eadem anima, per ſe, & primo rotunda conuerſione conuertitur: quæ rotunda conuerſio eſt omnium motionum prima.

Primi motoris proprietas prima eſt, primum mobile, ab ortu ad ocaſſum; & ab occaſu in ortum, irrequieto, inceſſantique motu immediate conuertere, & cuncta, quæ ſunt inferiora, medio intercedente motu primi mobilis, omni genere motum, agitare

agitare. Hæc inuenta principia, non tantum principia, sed partes etiam sunt primi motoris, licet ratione dispari: de quibus ab Aristotele disputatur a particula quinquagesimaquarta, vsque ad particulam septuagesimam octauam: ex quibus & totius, & ambarum partium, ac principiorum, propriæ, primæque affectiones agnoscuntur: quod præstandum fuisse supra diximus. Hæc de primo motore, quo ad est principium cæli animati: quæ ad septimum, & octauum librum physicorum pertinere videntur: nunc ad octauum.

Octaui libri scopus est primus motor: quia de primo motore quatuor proprietates quæruntur. Prima est motus æternitas: de qua vsque ad particulam vigesimamprimam egregie disputatur. Secunda est illius immobilitas: de qua ad quadragesimam quintam vsque particulam differtur. Tertia est illius vnitas, de qua vsque ad septuagesimamoctauam particulam ab Aristotele scribitur. Quarta est magnitudinis cuiuslibet vacuitas: cuius disputatio, ad calcem vsque libri producitur.

Adinuento scopo, propositio adinuenienda est prima: & vna non est: quia non vnum illud est, quod de vno inuento scopo demonstratur: hæc demonstrata cum sint quatuor, non vna erit, sed quatuor erunt propositiones: quarum vna erit princeps,

ties,quæ ſequentur, veluti pediſſequæ, & ancillæ,primæ propoſitionis erunt primo loco conſtitutæ.

Prima propoſitio.

Primus motor eſt æternus.

Secunda propoſitio.

Primus motor eſt immobilis.

Tertia propoſitio.

Primus motor eſt vnus.

Quarta propoſitio.

Primus motor eſt indiuiduus.

Prima propoſitio,per motus ęternitatem demonſtratur: ſecunda per primam, & tertia, per ſecundam, & quarta, per tertiam concluditur.

Harum omnium probationum radix eſt motus: ergo non a cauſis, ſed ab effectis; a motu enim ſempiterno, perpetuitas primi motoris, & ſubſtantiæ huius, conditiones, a poſteriori demonſtrantur.

Primæ propoſitionis probatio.

Illæ motor eſt æternus, cuius motus eſt eternus.
Motus primi motoris eſt æternus: Ergo.
Primus motor eſt æternus.

Argumentatio eſt ex vocibus reciprocis, in

in ſecunda figura, ex ambabus propoſitionibus aientibus: propter quam etiam cauſam, maior propoſitio eſt vera.

Minor vſque ad particulam vigeſimamprimam demonſtratur.

Secundæ propoſitionis probatio.

Omnis motor æternus eſt immobilis.
Primus motor eſt æternus: Ergo.
Primus motor eſt immobilis.

Propoſitio maior ex concluſione pendet primæ argumentationis; & vſque ad quinquageſimam particulam expenditur: Minor propoſitio, argumentationis eſt primæ conclusio.

Tertiæ propoſitionis probatio.

Omnis motor immobilis eſt vnus.
Primus motor eſt immobilis: Ergo.
Primus motor eſt vnus.

Maioris veritas nota eſt ex his, quæ apud Ariſtotelem leguntur a particula quadrageſimaquinta, vſque ad particulam quinquageſimamquartam.

Minor, concluſio prioris eſt argumentationis.

Quartæ propoſitionis probatio.

Omnis motor ſuapte natura vnus eſt indiuiduus.
Primus motor eſt ſuapte natura vnus Ergo.

Primus motor eſt indiuiduus.

Tota ratiocinatio ad calcem vſque libri producitur: Minor, eſt concluſio tertiæ ratiocinationis; Maior ex ſupraſcriptis elicitur.

Hæc omnia in artificioſam hanc vnam argumētationem artificioſe conglobantur.

Omnis motor cuius motus eſt æternus, & qui eſt immobilis, & ſuapte natura vnus, & indiuiduus, eſt æternus.

Primi motoris motus eſt æternus, & ipſe eſt immobilis, & ſuapte natura vnus, & indiuiduus: Ergo.

Primus motor eſt æternus.

Ab re itaque dictum non fuit, vnam hanc methodum inuiolatam ab Ariſtotele ſemper, & vbique cuſtodiri.

Periculum nunc fiat, num in primo capite eadem methodus cuſtodiatur. In illa de motu æternitas demonſtratur: ergo, metodi ſupraſcriptæ efficacitate, conficitur, vt motus ſit ſcopus: prima propoſitio erit: Motus eſt æternus; quia huius noſtræ Ariſtoteleę methodi neceſsitas poſtulat; vt ex ęternitate, tanquám ex attributo, & ex motu, tanquam ex ſubiecto, primi capitis omnium prima propoſitio conficiatur.

Pima propoſitio nuper conſtructa ab Ariſtotele in littera demonſtratur, medio, ex illis hauſto, quæ ab eodem Ariſtotele nobis præſtita fuerunt, ab initio libri tertij phyſicorum, & ad motus definitionem pertinent.

nent. Est enim motus actus, seu perfectio illius, quod moueri potest, quatenus eam vim habet, vt moueri possit: vel breuius, motus est actus mobilis: Ergo motus nisi mobile prius extiterit, esse nullus potest: quod veritati cõsentaneum esse constat, ex hominibus illis; qui licet, vel nulla etiam eruditione perditi sint, sensu tamen comuni non carent: quolibet enim stipite, & quolibet trũco durior, necesse est vt sint illi, a quibus mobile quodlibet, motum quenlibet anteire minime detur: quacunque motus specie mobile cieatur. Quo circa mobilia aut fuerunt semper, aut aliquando, cum prius non fuisset: hæc sine motore, cum sola sint prædita facultate, vi, naturaque propria, moueri nequeunt: sed extrinsecum motorem expectant; cuius efficacitate, ex facultate mobilibus actu moueantur, & hic motor, aut fuit semper, aut cum prius nõ extiterit, aut incæpit esse. Quod si natum est vtrunque, motus præfuerit quidem necesse est; sine quo gigni neutrum potuit: quare ante primum, fuisse alium priorem motum oportet: quod consentaneum non est. Si vero absque motu prius fuisse vtrunque dixeris: quærendum est: quid causæ fuerit: cur motus extiterit nullus, infinito tempore? huius a motu cessationis nulla ratio reddi potest: At si a quiete, (quam motus priuatione intelligimus) ad motum ambo erumpant,

permutatio ex quiete in motum nulla erit prima, quam non prior aliqua anteceſſerit motio: quoniam hunc primum incipere motum, abſque amolitione impedimenti, nihil poteſt: at impedimentum, per quod ſtat, quo minus mobile moueatur, & motor moueat, abſque motu, amoueri non poteſt: ante primum ergo motum præfuit alius prior motus, quo impedimentum ablatum fuit: qua ratione mobilium, & mouentium infinita ſeries neceſſario conſtituitur: quam infinitatem natura odit, cane peius, & angue.

Hac prima demonſtratione propoſitio ab Ariſtotele demonſtratur prima. Nullus ergo eſt apud Ariſtotelem locus, in quo hæc methodus ſtatim non appareat.

Peroratio. *Cap.* *XXXVII.*

QVæſtio de Methodo, quæ nobis propoſita erat ad explicandum, vniuerſa profligata iam videretur, egregieque ad exitum perducta, ſi prius peroratum fuerit: Ergo ſi a ſcriptoribus, ſi a publicis omnium bonarum artium profeſſoribus, ſi ab oratoribus, ſi ab alijs omnibus, qui ad aliquod litterarium opus obſoluendum aggrediuntur, hæc Methodus, omni ex parte, ſeruaretur, tot; tantaque librorum, & orationum, & diſceptationum, aliarumque omnium

nium rerum, ad litteras pertinentium, horrenda, atque ingentia monſtra, portentaque, nec legerentur, nec audirentur, nec viderentur. Huius Methodi ignoratio, & negligentia, monſtrorum omne genus, omnemque multitudinem generat: neceſſariamque rerum omnium ignorationem parit. Perfecta verò, numeriſque omnibus abſoluta, eiuſdem cognitio, illiuſque amor, & frequens vſus, ad ſcientiam, atque peritiam via terminata, breui, recta, certa, facili, & vna, quam citiſsime ducit: illam tamen, illiuſque neceſſarias præceptiones nouiſſe ſat non erit: niſi illi, illiuſque præceptionibus, diligentem exercitationem, & nunquam intermiſſum vſum, adhibuerimus: nam, & Pictor, vt ad illum reuertamur, a quo exorſi ſumus, licet de Virgine proprijs coloribus ad viuum exprimenda, multa legerit, viderit, audiuerit, meditatuſque fuerit; niſi tamen ipſe tabellæ manum admouerit, niſi multa tentauerit, niſi multam operam impenderit, multaque non raro pinxerit, vel etiam improbanda, ſpongiaque delenda, ne pinget quidem vnquam Virginem, quæ aliquando ſit probanda, & quæ digna ſit, quam integerrimi iudicij ſpectatores, aſpicere, ingenti cum delectatione, aueant. Niſi etiam quis ſemetipſum in exuenda virgine veſtita, ornamentiſque nudanda, abluendaque, & natiuæ

formæ reddenda, eneruanda etiam, atque exoſſanda, magna, immo, dubio procul, maxima, & longa cum diligentia exercuerit, virginem nunquam veſtiet. Diligentia, ſine temporis longitudine, ac temporis longitudo abſque diligentia, minime ſufficit: vtraque coniungenda eſt ei; qui, in re, litteraria, magnos progreſſus facturus eſt. Hac in re, diligentia cum longitudine, & longitudo cum diligentia, recipracantur. Quod feſtinanti ad terminum, nonnunquam præcipitium eſt, atque ineuitabilis ruina, ad id ſenſim, oculis maximopere, adapertis, per ſingula ſequenti veſtigia, magna, non raro cum felicitate, parique cum ſecuritate, perueniri contingit.

Si cui hi noſtri labores; humiliores eſſe videantur, quam vt maturæ ætatis hominem, qui ſe totum Phyloſophiæ addixit, deceant, hunc meminiſſe oportet, diſceptationes illas non eſſe, vt humiles nihili faciendas, quibus ignoratis, alia omnia ignorantur, & quibus intus, & incute cognitis, integra, atque expleta illarum omnium rerum, quæ ab Ariſtotele ſcribuntur, percipitur ſcientia. Has Methodos ego, & plurimi feci, & adamaui ſemper. His ducibus, tanquam in portum, vela deflectere, & pleno curſu contendere, immo in ipſo met tutiſſimo, Ariſtoteleæ doctrinæ portu nauigare licet.

Et cum omnia, quæ ad expletam Methodum Aristotelis, integramque illius cognitionem & vsum litteris consignandam, spectarent, in breuam hanc, & maxime apertam discetationem contraxerim, hunc scribendi finem, immortali Deo auspice, facio. Quam quidem ad rem, ego (vt mihi videor) non vulgare attuli addiumentum auditoribus meis; in quorum gratiam hæc omnia scripta fuerunt, vt aliquantulum se arbitrentur adeptos, & ad docendum & ad discendum, & ad intelligendum, ea quæ ab alijs scripta fuerunt, ac etiam ad discendum, atque scribendum, & ad iudicandum tum de alienis, cum etiam de proprijs laboribus: atquè, vt vno verbo dicam, & eruditionem, atque peritiã, & quanlibet illarum partem, profectọ his nostris vigiliis legendis, atque accurate rimandis (ni fallor) efficient pleniorem, integrioréque.

INDEX CAPITVM, QVAE HAC tota disputatione continentur.

INDEX EORVM QVAE HAC
tota disceptatione continentur.

A

Balneum

B.

C.

D.

Diæresis

Exercitatio

F

G

H

H Homines

I

L

M

Methodus

N

O

P

Q

Theodorus

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina quinta			
	Scientes	Leg.	ſcientias
	Facimus.		facinus:
14.	Longe maior.		minor
17.	Diſterminatu.		diſterminatur
27.	Horridi.		horrida
31.	rectum		tectum
38.	Explaratione		explanatione.
99.	Gællijnaceus.		Gallinaceus
52.	a priori		a poſteriori
52.	a poſteriori		a priori
84.	Homo eſt animal		animatus.

FINIS.

Cum licentia D. D. Superiorum.

FLORENTIAE.

Apud Bartholomæum Sermartellium.

MDLXXXIIII.